
58,599
Supp. B

B XXIV Occ

785.






*Ad c. III. §. 5.*





*Ad c. III §. 5.*



65745

# IACOBI BRVCKERI
# HISTORIA VITAE ADOLPHORVM OCCONVM
VV. CL. CL
AD ILLVSTRANDAM REM LITTERARIAM ET MEDICAM SAECVLI XVI COMPARATA

ACCESSIT PRAETER ALIA
*SVMMI VIRI*
LVCAE SCHROECKII
MEDICI CAESAREI ET ACAD. NATVR. CVRIOS
QVONDAM PRAESIDIS
HYGEIA AVGVSTANA



*LIPSIAE*
APVD IO. CHRISTIANVM LANGENHEMIVM
CIϽ IϽCC XXXIIII


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

*VIRO ILLVSTRI*

D O M I N O

# IOANNI THOMAE DE RAVNER

DYNASTAE IN MVRINGEN, WISEN-
STETTEN, TOMMELSBERG ET
MVHLEN AD NICRVM,

POTENTISSIMI

MAGNAE BRITANNIAE REGIS

ET

ELECTORIS BRVNSVICO-LVNEBVRGENSIS
CONSILIARIO,

ET APVD

REM PVBLICAM AVGVSTANAM
RESIDENTI,

SERENISSIMO PRINCIPI BADENSI
A CONSILIIS,

REIPVBLICAE AVGVSTANAE
SENATORI,

MVLTIS MVNERVM ET MERITORVM
ORNAMENTIS INCLVTO,

RELIQVA,

MVSARVM MAECENATI SVMMO

EA, QVA PAR EST, ANIMI OBSERVANTIA

D. D. D.

A V C T O R.




Tſi tot atque tanta ſunt, VIR ILLVSTRIS, merita Tua, non in rem ſolum publicam Auguſtae patriae, de qua toties immortaliter meritus es, et quotidie mereris, ſed in bonas quoque litteras eisque deditos, quos magnifica prorſus munificentia alere, ſicque orbi litterato Viros bonos atque doctos ſiſtere laudatiſſimo inſtituto laboras, vt ſoli lumen accendere videatur, qui tanti ſtudiorum et Muſarum Maecenatis laudes omni encomio maiores verboſa iactantia enarrare audeat: non inique tamen feres praeſens alloquium, quod non deſcribendorum Tuorum, quod ſupra vires eſt, meritorum, ſed ſignificandae potius, quam debet, gratiae munia occupat. Cum enim ex Tua munificentia, VIR ILLVSTRIS, etiam ad me litterarum ſtudiis olim innutritum haud vnum beneficiorum genus fluxerit, non gratiſſima tantum et deuinctiſſima eorum animum hactenus tenuit recordatio, ſed et publice teſtandi gratiſſimi animi occaſionem non vna vice debui. Quam cum OCCONES praeſentes, Viri de re litteraria, et de patria quoque noſtra, aeternum meriti, quorum VITIS enarrandis praeſens opuſculum deſti-

 natum

natum eſt, opportune exhibeant, patieris omnino, vt,ſi non ego,infacundus interpres,certe Medici hi Auguſtani per orbem litteratum vniuerſum celeberrimi, beneuolentiam et patrocinium Tuum, quod Muſis praeſtas, latiſſime explicent, anſamque mihi exhibeant,beneficiorum olim a Te in me profectorum gratiſſimum longeque deuinctiſſimum Tibi ſignificandi animum. Qui, cum tot rationibus officia et ſubmiſſam obſeruantiam debeat,Numen flagrantiſſimis veneror precibus, vt omnigenae benedictionis flumine et Te, ſuperis charum, et Generoſiſſimam familiam inundet, et quae per plurimorum temporum auſpicatiſſimas ſeries, animo corporique ex omni parte beata eſſe queunt, et conſummatam praeſtare felicitatem apta ſunt, largiſſima manu et fauentiſſima gratia in Te cumulet. Ita et nunquam non laetabuntur de proſperitate Tua bonae litterae,et recreabuntur impenſe,qui Tuam virtutem obſeruantiſſime colunt; inter quos, vt locum porro mihi facias, qua decet animi obſeruantia, contendo. Scrib. Kaufbyrae a. d. 24. Sept. cIɔ Iɔcc XXXIII.

PRAE-

# PRAEFATIO



*Vm breuitatem in praesenti, quem Tuae beneuolentiae exhibemus, LECTOR HVMANISSIME, libello sectandam nobis proposuerimus, paucis tantum de eius ratione ac circumstantiis monendus, et potissimum erudiendus es, cui, quicquid in eo bonae frugis est, et rem atque historiam litterariam iuuare aptum, debeas. Acceptum scilicet id referendum est beneuolentiae et eruditioni Viri, vt natalium splendore et meritis in Rempublicam Augustanam immortalibus, ita elegantissima eruditione, et quo, inusitato fere seculi nostri more in bonas literas fertur, amore et fauore illustris Dn. WOLFGANGI IACOBI SVLZERI, Incl. Reip. Aug. Senatoris, Aedilis et Quaestoris, Scholis A. C. et Bibliothecae publicae praefecti, etc. cuius insignem beneuolentiam multis nominibus veneramur. Is, antequam reipublicae muneribus admouebatur, pro innato eruditionis in patria quoque, eiusque historiae, promouendae studio rem tanto ingenio dignam, eique soli parem, aggressus, quicquid ad patriam historiam siue sacram, siue ciuilem, siue literariam referendum putauit, incredibili labore, non ex libris tantum vndique conquisitis, sed ex manuscriptis quoque codicibus, chronicis, aliisque priscae fidei monumentis, imo ex ipsis chartophylaciis, locupletissimum Augustanarum rerum thesaurum collegit. Obstitere tamen maiora, quibus patriae saluti et incolumitati adhibebatur, negotia, et collata splendidissima munera, quo minus Ipse vastissimam istam collectaneorum molem in ordinem redigeret, et in concinnum tandem deduceret opus. Quia vero non Ipse tantum maximo eruditionis patriae feruebat amore, sed et ciues ad eandem annitentes patriaeque historiae pro viribus inseruiendae operam nauantes liberaliter prorsus et humanissime tum consilio tum auxilio iuuabat, accidit, vt et nos, sanitatis potissimum curandae caussa Augustae ante aliquot annos haerentes, cum de rebus ad patriae historiam pertinentibus cum Viro Generosissimo colloqueremur, ad OCCONVM quoque* literariam historiam *egregia multa collecta videremus.*



mus.

*nus. Quae, cum et patriae honorem plurimum illustrare cognosceremus, et literariae quoque, imprimis rei medicae, historiae amplissimam lucem accendere deprehenderemus, non iniquis precibus a Viro Generosissimo contendimus, vt tanta patriae et rei literariae ornamenta luci publicae inuidere amplius nollet. Illud vero etsi de se, tot munerum laboribus in Rep. moderanda occurrentibus impedito, postulari vel expectari posse negabat; dedit tamen id nostris desideriis, vt omnia ista, quae de* OCCONIBVS *collegerat, nobis concederet, iusto ordine describenda et in libri formam redigenda, facta etiam potestate de paupere nostra penu addendi, quicquid e re visum fuerat. Horas itaque pauculas a laboribus, quibus vndique premimur, suffuratis, praesens, quem Tibi sistimus,* LECTOR BENEVOLE, *libellus enatus est, in quo pleraque eruditioni* Sulzerianae, *pauca quaedam angustae supellectili nostrae, debentur. De eo vero ita habeas, quicquid bene et placiturum dictum est, id praestantissimo huic literarum Maecenati, quicquid sinistrius et praeter rem, ingenii nostri paupertati et* ἀβλεψίᾳ *adscribendum esse. Enarrauimus autem* ADOLPHORVM OCCONVM primi, secundi *et* tertii vitam *et scripta; quae cum et ad rem medicam, et ad eas quoque literas, quae ab humanitate nomen ferunt, pertineant, varia hic allata esse, quae non ingrata futura sint Lectoribus, confidimus. Et cum* OCCO III. Pharmacopoeae Augustanae, *libri certe celeberrimi, quique Hermathenae instar in re medica hactenus fuit, auctor fuerit, huius quoque* historiam *plenam, et fortassis paucissimis cognitam, hic habes. Praefiximus vero ex vbere isto thesauro farraginem quoque obseruationum ad* vitas medicorum Augustanorum, *istis* OCCONIBVS coaeuorum; *vt aliqua saltem ratione historiae literariae Medicorum Augustanorum per Seculum XVI. lineamenta ducerentur. Tandem et Illustris meritis et doctrina Viri,* D. LVCAE SCHROECKII, *quem sibi nuper ereptum et patria et orbis literarius tantopere doluit,* Hygieam Augustanam, *occasione Iubilaei, quod collegium Medicum, Anno 1685. auspicabatur, scriptam, et historiam eius succincte et elegantissime enarrantem, eo, dum viueret, annuente, adiunximus. Tu,* LECTOR HVMANISSIME, *pietatem nostram in patriam, voluntatemque rem literariam aliquantulum et pro viribus iuuandi boni aequique consule, nobisque porro faue. Scr. Kaufbyrae Mense Septembri* cIↄ Iↄcc XXXIII.

PROLV-

# PROLVSIO DE MEDICIS AVGVSTANIS SAECVLO XVI. CELEBRIBVS.

QVod magni olim nominis philoſophus, PETRVS RAMVS, cum in itinere Auguſtam Vindelicorum eſſet delatus, vrbis elegantia, munimentorum viarumque pulchritudine, aediumque magnificentia ductus ſub diſceſſum dixiſſe dicitur; Auguſtam Germanorum Lutetiam vel potius Romam quandam ſibi viſam eſſe, id non ad aedium tantum ſplendorem, ſed ad ingeniorum quoque elegantiam potiori iure referendum eſſe multorum iam ſeculorum fides euicit. A plurimis enim annis eruditionis claritate celebris doctiſſimis viris vel patriam, vel domicilium ſe praebuit exoptatiſſimum. Cuius rei vt monumentum patriae de literis elegantioribus tot nominibus praeclare meritae erigamus, ad VITAM OCCONVM, quos non ſui tantum, ſed totius rei publicae ornamentum Auguſta produxit, fouit, aluit, praefaturi, antiquiorum, qui OCCONES anteceſſerunt, vel eorum quoque temporibus floruerunt, Medicorum Auguſtanorum nominis celebritatem conſecutorum aliqualem dabimus notitiam, eoſque, paucis tamen et per lancem tantum ſaturam, enarrabimus, vt primae ita ducantur lineae, ex quibus, qui liberiori otio gaudent, accuratius *hiſtoriae literariae medicae inter Auguſtanos* extruere queant σύστημα. Eorum vero hunc ecce ſyllabum.

| | | |
|---|---|---|
| I. IOAN. CVBA. | mortuus ann. | - - |
| II. BARTH. MERLINGER. | - - - | 1490 |
| III. IOSEPH. GRVNENBECK. | - - | 1490 |

I. IOANN. A CVBA. Perantiquum hunc fuiſſe medicum Auguſtanum, cuius tamen memoria caremus, nec de vitae eius circumſtantiis plura nobis innotuere, ex libro eius rariſſimo conſtat, qui titulo: *Hortus ſanitatis*, prodiit. Cum enim liber ſine loci, auctoris, anni et typographi deſignatione editus, primam typographiae infantiam literarum et imaginum, plantas, animalia lapidesque referentium, ruditate et calamo adpictis literis initialibus deſignet, vt beneuole nos docuit, qui librum ipſum poſſidet, Vir Experient. IO DIETER. LEOPOLDVS, apud Vlmenſes hodie Poliater feliciſſimus, facile, quid de ejus aetate ſtatuendum ſit, iudicare licet. Etſi vero auctoris nomen non prae ſe fert liber, in Germanica tamen libri editione, quae titulo: *Garten der Geſundheit anno MDLXXXV.* prodiit, auctor indicatur *Ioannes Cuba*, Medicus Auguſtanus. Ab ipſo vero hoc auctore *de infantium morbis* tractationem inſtitutam eſſe, mox monebimus.

II. BARTHOLOMAEVS MERLINGERVS, vir ex ſeculi ſui conditione doctiſſimus, innotuit, tractatu *de infantium morbis et eorum valetudine tuenda:* qui prodiit cum ALBERTI M. *mulierum ſecretis Francof. ex offic. Egenolphi 1531.* et lingua vernacula, cum EVCHARII RHODIONIS, IO. A CVBA,

BA, L. BONCICLI et ALBERTI M. eiusdem argumenti ſcriptis *Hanou. apud Wigand. 1577. 8.* vid. IO. GEORG. SCHENCK *Bibl. med. p. 90.* SIMLER. *Biblioth. p. 105.* PASCH. GALLVS *Bibl. Med. p. 45.* Diſtinguendus ab hoc videtur IOANN. MERLINGERVS, Medicus Auguſtanus, cuius IOANNES STOCKAR, Medicus Vlmenſis antiquus, meminit, variaque medicamina ab eo ſecum communicata in practicis MSC. exhibet, vt laudatus Dn. LEOPOLDVS monuit.

III. IOSEPHVS GRVNENBECK, medicus Auguſtanus, Burchuſa apud Bauaros oriundus, vertente Sec. XV. medicinam apud Auguſtanos fecit, celebre ea quidem aetate nomen eo conſecutus, quod ignoti tum nouique morbi, quem *Gallicam luem* vocauere, *hiſtoriam et theoriam* primus conſcriberet. Cum enim venenum iſtud circa annum MCDXC. et ſequentes Auguſtae quoque ſerperet, multumque laboris et terroris ciuibus inferret, quod et ignotum et epidemium eſſet, non ſolum ad euitandum maius malum propria domus huius mali labe infectis data eſt, Coſſ. Io. Langemantelio, et Ludouico Hoſero, Anno MCDXCV. teſte GASSERO in *Annal. Augſtburg. ad h. A. Tom. I. ſcr. Rer. Germ. Menck.* quam hodie quoque pro eodem morbo infectis conſeruat ſenatus prouidentiſſimus; ſed et Ioſephus Grunenbeckius librum ſcripſit: *de cauſis, origine et curatione morbi Gallici, quem vocant ſcorram*, inſcriptum Bernardo de Waldkirch, Canonico Auguſtano. Ita quidem CAROL. STENGELIVS in *Comment. rer. Aug. P. II. c. 62. p. 251.* Vt vero SIMLERVS in *Biblioth. p. 518.* et MERKLINVS *in Lindenio renou. l. I. p. 704.* referunt, hunc libro praefixit titulum: *de mentulagra, ſiue morbo Gallico*, quo nomine eum etiam laudat Cel. FABRICIVS *Bibl. Gr. vol. XIII. p. 302.* editum 1503. et apud PASCHALEM GALLVM *Bibl. Med. p. 199.* hoc libri rubrum occurrit: M. IOSEPH. GRVNBECK *de Burckhauſen tr. de peſtilentiali ſcorra, ſiue malo de Franzos, originem, remediaque eiusdem continens ſuper carmina quae-*

*dam Sebaſtiani Brantumi Vtriusque Iuris profeſſoris* in 4. pl. 3. Cum vero ex dedicatione pateſcat, librum circa iſta tempora, vbi obſcoeniſſimus morbus inualuerat, anno ſcilicet MCDXCVI. primum prodiiſſe, vid. EL. EHINGER. *Cat. Bibl. Aug. p. 371.* facile largiar, alteri editioni a Simlero enarratae alium titulum acceſſiſſe. Ceterum diſtinguendus ab hoc Grunbeckio alius eiusdem nominis, Ioannes Grunbeckius, Presbyter, cuius extat: *ſpeculum naturalis, coeleſtis et propheticae viſionis, omnium calamitatum, tribulationum et anxietatum, quae ſuper omnes ſtatus, ſtirpes, et nationes chriſtianae Reip. praeſertim quae cancro et ſeptimo climati ſubiectae ſunt, proximis temporibus venturae ſunt, Norimb. 1508. fol. pl. 8.* cui in fine additi *articuli concordantes Aſtronomicam certitudinem cum Theologica veritate pl. 1.*

IV. SIGISMVNDVS GRIMMIVS, Zwickauienſis, Auguſtam, teſte *Protocollo Coll. med. Auguſtani T. I. p. 1.* venit circa annum 1512. connubio Magdalenae Welſeriae ciuis Auguſtanus factus. Duplici vero nomine de re literaria optime meruit Grimmius. Non enim rei tantum medicae inuigilauit ſummo ſtudio, adeo, vt proprium pharmacopoleum inſtitueret, et chymicis quoque operationibus potiorem facultatum partem conſumeret; ſed et rei literariae ſtrenuam nauauit operam, cui ACHASARAVI *theoreticam et practicam methodum anno 1519. fol.* editam debemus. Imprimis vero de reſtituto Euangelii nitore et puritate bene mereri cupiens, proprium typographeum domi erexit, et melioris notae libros ſua cura et ſumtibus per *Simpertum Ruf* editos excudi curauit; de quo, cum *Amoenit. litter. T. VI. p. 466. ſqq.* dixerimus, ea hic otioſe repetere breuitatem ſectantibus non licet. conf. CAR. STENGELIVS *Comm. rer. Aug. P. II. c. 62. p. 251.*

V. MARQVARDVS FROEERVS ſiue FREHERVS, natus eſt Dunckelsbuhlae, patre itidem Marquardo, medicinae Doctore et practico dicto loco, e familia Weiſachiorum oriundo. Poſtquam artium et medicinae Doctor Peruſii erat creatus,

tus, Augustae in Physicorum numerum receptus est anno M D I I. referente *Protoc. coll. med. aug. T. I. p. 1.* In hac quoque vrbe occasionem nactus est puriori doctrinae adhaerendi, quod tanto quidem feruore egit, vt aliquorum librorum eandem profitentium editioni obstetricaretur. Cumque et ipse optimis literis haud leuiter esset tinctus, posteros quoque suos eandem viam incedere felicissimo conatu studuit, vnde hodienum Marquardi nepotis et pronepotis, Pauli item pronepotis et Pauli abnepotis nomina suspicit orbis literarius. Obiit 18. Febr. 1535. vid. PAVLI FREHERI, abnepotis *theatr. vir. ill. p. 1222.*

VI. AMBROSIVS IVNGIVS, Vlmensis, medicus Capituli Augustani anno MCDXCIV. factus, vxorem duxit Elisabetham Laugingeriam anno 1499. et post eam Magdalenam Manlichiam, vtramque gente patriciam. Inter Medicos Reipublicae anno MDX. receptus, celebre sibi nomen fecit, edito *de praecauenda peste* libello hoc titulo: *Ain nuzlich, tröstlich und kurze Vnterrichtung, wie man sich in diesen schweren Læufften der Pestilenz halten solle, durch Ambrosium Iungen der Arzney Doctor zu Augspurg, dem gemeinen Mann zu Hülff und guten, der nit andern Beystand hat, verordnet, Augsp. 1563. 4. pl. 3½.* vid. EHINGERI *cat. Bibl. August. p. 393.* Huius filius, AMBROSIVS, Augustae quoque Medicinam fecit circa annum MDXLII. Senis Anno MDXLI. Doctor Medicinae creatus, vxoremque habuit Reginam Roesleriam, et hanc quoque patricia stirpe oriundam; patre quoque adhuc viuo stipendium octoginta aureorum a senatu meruit. Postea tamen Landspergam ad Medicinam faciendam profectus aliquantum temporis extra patriam commoratus est, in quam tamen postea reuersus priuato nomine aegris medebatur, denatus anno MDLIX. teste *Protocollo colleg. Med. T. I. p. 1.* Ceterum duos quoque habuit fratres Ambrosius, quorum vterque haud ignobile inter Augustanos nomen consecutus est; alterum VDALRICVM, Medicum, equitem auratum, Imperatorum Caroli et

Ferdi-

Ferdinandi conſiliarium, circa eadem quoque tempora Auguſtae degentem fatisque functum anno MDXXXIX. menſe Iunio: alterum IOANNEM, Wimpfenſem, qui, poſtquam Tiguro Vlmam primum, deinde Vlma Auguſtam perueniſſet, anno MCDXCIII. appellatus fuit *Magiſter a Tiguro*, obiitque anno MDV. 16. Febr. aetatis octogeſimo teſte *Protoc. Coll. Med. l. c.*

VII. IOANNES MOIBANVS, Vratislauienſis, Vir doctiſſimus et longiori vita dignus, medicinam fecit Auguſtae MDLVIII. vitam eius ſcriptorumque notitiam non ſolum dedit MELCH. ADAMI. in *Vitis Medic. p. 53.* GESNER. in *Bibl.* FREHER. *in theatro p. 1251.* SIMLER. in *Biblioth. p. 473.* GALLVS in *Bibl. Med. p. 185.* MERCKLINVS in *Linden. renou. B. I. p. 644.* ſed et ante eos IOANNES CRATO, eius ciuis, Medicus celeberrimus, qui *Dioſcoridi* a Moibano in linguam latinam verſo et poſt eius praematura fata a CONR. GESNERO. *Argent. 1565. 8.* edito epiſtolam ſatis prolixam praemiſit, quae, cum non in omnium manibus ſit, pauca ex ea decerpemus. Parentem ſcilicet habuit Ioannes noſter Ambroſium Moibanum, artes bonas primum in Academia Wittebergenſi profitentem, mox diuini verbi praeconem Vratislauiae conſtitutum, quo cum Ioanne Heſſo Norimbergenſi ad profligandos veteres errores accerſitus fuerat; Matrem Annam, ex Bonicorum familia; a quibus natus tantam ingenii excellentiam conſecutus eſt, vt valeret, vbi hoc vel mediocriter attenderet, atque ex ſe et natura non modo plurimarum rerum cognitionis eſſet capax, verum etiam inueniendo ſagaciſſimus, et mens in exquirendis rebus plurimum aleretur, et agitandis magna cum induſtria oblectaretur. Corpus etſi ſatis firmum, nimia tamen cogitationum intentione frangebatur. Domi a praeſtantiſſimis in omni eruditionis bonarumque litterarum genere magiſtris educatus et formatus, in Lingua Hebraica, Graeca, et latina egregie profecit, et natura ad artem pingendi pronior, eam tantopere, nullo magiſtro vſus excoluit, vt imagines ab eo

pictae

pictae et sculptae quoque inter summa artificia numerarentur. In Academiam Leucoream profectus, ab ore Melanchthonis per quinquennium pependit, bonarumque artium Magistri honore auctus est: eo quoque hortatore Norimbergam se contulit, vbi et priuatim adolescentes erudiendo, et Graeca ac Latina carmina conficiendo se admodum commendauit, vbi quoque attentius ad rem herbariam cognoscendam animum haud infeliciter applicuit. Tum studiis Filiorum viri praestantissimi, D. Manlichii, Augustani, praefectus cum illis in Italiam ablegatus est, vbi per quadriennium summo studio arti medicae Patauii atque Bononiae deditus, Italicam Graecamque linguam, quae vulgaris dicitur, breui tempore didicit, praestantissimis viris innotuit, et amicus factus est, veterum scripta diligentissime euoluit, et Musices, Poëtices et artis pictoriae excellentia in celeberrimorum artificum notitiam venit, eorumque beneuolentiam sibi comparauit, medicis quoque, imprimis Magneto, Bononiensium Doctori, charissimus; in eo tamen duplici nomine infelix, quod et Montanus, cuius audiendi gratia Italiam petiuerat, et pater Ambrosius, hoc tempore fatis concederent. In patriam itaque redux medicinam ibi facere intendit, vbi, cum omnia essent difficilia, Ambergam Nariscorum se contulit, ibique Reip. suam operam locauit, multa ibi de interpretatione auctorum Graecorum artis salutaris animo voluens. Ibi Augustanam vxorem duxit Estheram, Lucae Milleri mercatoris filiam. Anno vero MDLVIII. quo Io. Bapt. Hainzelius, vti verus tum literatorum omnium, ita praecipue Moibani Maecenas, consulatus dignitate auctus erat, Augustam proposito publico stipendio vocatus concessit, ibique cum summa laude integritatis, candoris, modestiae, veritatis, sobrietatis, φιλοστοργίας, ac, quod caput est, pietatis ad extremum vsque spiritum, quem Deo reddidit, vixit. Initio, cum nondum in hominum cognitione versaretur, nec se aliis ingerere vellet, conuertendos sibi Dioscoridis parabilium libros ex Graeco MSC. Reip. delegit, postea vero, vbi eruditionis eius

praestantia emicuit, illius consilio optimi viri ad sanitatem tuendam vsi sunt, etsi et hic inuidiae morsus effugere non poterat. Tum Matheseos quoque disciplinam didicit. Fatali vero luctu vxore charissima in puerperio obeunte priuatus tanto dolore conficiebatur, vt paulo post febri duplici tertiana correptus, nona die Maii Anni M D LVIII. aetatis 35. mortalibus eriperetur, animamque pie et deuote efflaret, post quam pientissimi affectus haud contemnenda signa dederat. Quia vero morte praepeditus Dioscoridem absoluere non potuerat, eundem laborem Gassero commendauit, vt eum Gesnero transmitteret absoluendum, et perpoliendum, id quod factum quoque ab eo est. Quantum vero honoris et amoris ei detulerint non Crato solum, sed et Gasserus atque Gesnerus, haec ipsa Dioscoridis editio, et quae ei praemissae sunt epistolae, satis loquuntur, et Gesneri quoque Epistolae ad Gasserum *Lib. I. Epist. Medicinal. fol. 22. seqq.* occurrentes manifeste testantur, quantum et laboris et sumtuum impenderit, vt et pupillorum et laboris Moibani curam haberet, vnde editos Dioscoridis libros liberorum Moibani nomine senatui inscripsit, qui quoque pupillis se munificentissimum exhibuit. Diligenter quoque *Conuersiones Hippocratis et Galeni* emendauerat Moibanus, et *vitae* quoque *Belisarii* ex Graeco conuersionem in manibus habuerat; sed eius quidem nihil postea lucem vidit. De editione vero ista Dioscoridis conferendus post GASSERI epistolam praefixam Cel. FABRIC. *Bibl. Gr. Vol. III. pag. 95.*

VIII. GEREON SEILERVS, Bauariae ortum debet, ex qua biennium ante insolitum, qui tunc Augustae inualescebat, morbum, quem sudorem Anglicum vocauerunt, anno scilicet MDXXIV. Augustam delatus, quod ipse in *Conclus. et propos. Medicis* narrat, stipendium senatus per aliquot annos meruit, vxore ducta Felice Mayria ex vicina Kaufbyra oriunda. Abiit autem ad plures 22. die Septembris An. MDLXIII.

exu-

exuuiis mortalitatis in Cathedrali templo depositis, vid. *Protoc. Coll. Med. Aug. T. I. ab init.* Nomen vero non praxeos tantum Clinicae felicitate, sed librorum quoque editorum eruditione sibi parauit. Cum Collegis enim ADOLPHO OCCONE II. et Ioanne Tieffenbachio, atque Wolffgango Talhausero *consilium de peste* publici iuris fecit, de quo cum in *vita Occonis II.* ex instituto dixerimus, prolixius iam differere nihil attinet. Vtilissimum vero *Obseruationum Medicarum opus Schenckianum*, nec non *epistolam primam Libri XIX.* IO. MANARDI, Medici Ferrariensis, immortalitatem ei peperisse iudicat Illustris L. SCHROECKIVS nostras in *Hygiea Aug. p. 4.* Ceterum distinguendus est a RAPHAELE SEILERO, cui praeter *recessus Camerae Imperialis Wezlariensis*, versionem quoque debemus Latinam orationis DEMETRII CYDONES *de morte contemnenda*, quae cum notis H. WOLFII ex Bibliotheca Io. Iac. Fuggeri, cum *Hermiae irrisione Basil. 1553. 8.* edita est, quaeque postea quoque *doctrinae recte viuendi et moriendi* accessit, de qua pluribus dictum in *vita Occonis III.* conf. KOENIG. in *Biblioth.*

IX. CHRISTOPHORVS WIRSVNGVS, vir doctissimus, nobili gente natus, Augustae anno MD. fatis cessit die 25. Iun. anno MDLXXI. Vitam eius enarrarunt PAVL. FREHER. in *theatr. p. 224.* et MELCH. ADAMI, in *vitis Philosoph. p. m. 117.* Libris vero tum medicis tum theologicis inclaruit; Scripsit enim librum Medicum, in quo *omnia humani corporis externa et interna membra primum describuntur, deinde singulorum morbi et earundem cura, Heidelbergae 1568. fol.* editum, teste SIMLERO in *Bibl. p. 147.* Eundem *recognitum a se et emendatum Francof. 1577. fol.* recudi fecit IAC. THEODOR. TABERNAEMONTANVS, vid. ISRAEL SPACHII *Nomenclator Script. med. p. 105.* conf. PASCH. GALLVS in *Bibl. med. p. 129.* In sanctiori argumento multum quoque versatus LVDOVICI LAVATERI *Homilias in Iosuam*, et AVGVSTINI quoque MAR-

LORATI *Comm. in N. T.* vernaculo idiomate expreſſit, BERNARDI quoque OCHINI *Conciones et Apologos* ex Italica lingua in Germanicam tranſtulit; immo MARCELLI quoque PALINGENII *Zodiacum vitae* commentario illuſtrauit. vid. FREHERI *l. c.* Non confundendus vero cum Chriſtophoro Wirſungo eſt IOAN. GEORG. WIRSVNGVS, Patauii ictu ſclopeti extinctus, qui celebre inter Anatomicos Nomen ſibi peperit; quod Patauii anno MDCXLII. menſe Martio ductum pancreaticum, a nemine hactenus obſeruatum, inuenerit, vnde nomen ei ab inuentore haeſit. vid. TH. BARTHOLINVS (quo praeſente id factum) *Anat. c. XIII. p. m. 113.* GEORG. PASCHIVS *de inuent. nov-antiquis c. VI. §. 42. p. 500.* ANDR. OTTOM. GOELICKE *Hiſt. Anat. p. 135.* Sed et ipſe de eo ductu audiendus in *Epiſt. ad Riolanum*, conferendique qui de pancreate ſcripſerunt REGN. de GRAAF, IAN. LONICERVS; add. STEPH. BLANCARDI *Anat. reform. P. II. c. 23. p. 39.* aliique.

X. ACHILLES PRIMINIVS GASSERVS. De Celeberrimi huius Polyhiſtoris vita et ſcriptis ipſimet fuſe egimus *Amoenit. liter. T. IX. p. 1. ſeqq.* quae hic non repetimus.

XI. IEREMIAS MARTIVS, Auguſtanus, textoris pauperculi filius, Montispeſſulani ſtudiis artis ſalutaris operam dedit, vt patet ex LEON. RAVWOLFII *praef. ad Itiner.* Orangiae vero ſummis Medicinae honoribus auctum, anno MDLXVI. Auguſtam appuliſſe, et d. 15. Ian. anni ſequentis vxorem duxiſſe Sibyllam Gundelfingeriam, ſtipendium quoque meruiſſe ab Ampl. Senatu pro noſocomeo Gallico flor. 120. ac tandem epilepſia correptum die 17. Martii anni MDLXXXV. obiiſſe refert *Protocoll. Colleg. Med. T. I. ab init.* Eruditionem eius teſtantur ſcripta elaboratiſſima, quae ſequentia ſunt:

1. *Curationes et obſeruationes Medicae, quas* ex MSC. in *ſylloge curationum et obſeruationum medicinalium* edidit notiſque

illu-

illuſtrauit GEORG. HIERON. WELSCHIVS *Aug. 1668.* 4. vid. Illuſtr. SCHROECKIVS in *Hyg. Aug.* et in *Memor. Welſch. p. 47.* conf. CORNEL. A BEVGHEM *Bibliograph. Medic. Conſp. I. p. 170.* SIMLER. *Bibl. p. 344.*

2. *Iacobi Greuini Claromontani Bellouacenſis libri II. de venenis e Gallico in Lat. conuerſi opera Hierem. Martii, Medici Auguſtani, Antuerp. 1572.* fol. apud Plantin.

3. *Eiusd. de antimonio tractatus interprete eod.* vid. EHINGERI *Catal. Bibl. Aug. p. 370. n. 8. 9.* ANTON. REISERI. *Catal. Man. Bibl. Aug. 132.*

4. *Nonni de omnium particularium morborum curatione, ſic ut febres quoque et tumores praeter naturam complectatur, liber ex codice Graeco Bibl. Aug. edidit et verſ. Lat. adiunxit Hierem. Martius Med. et Phyſic. Aug. Argent. 1568.* vid. Cel. FABRICIVS. *Bibl. Gr. Vol. XII. p. 685.* ſeqq. Eundem auctorem veteribus non memoratum ad fidem MSC. ſe emendaſſe et cum notis neceſſariis ad prelum paratum habere indicauit G. H. WELSCHIVS *ep. 8.* et *de ven. Medin. p. 263.* item in *praef. ad Ierem. Mart. obſeruationes.* conf. Ill. SCHROECK. in *Memor. Welſch. p. 64.*

5. *Nicolai de Metri de curandis internis et externis plerisque morbis liber, Germanice ed. a Ier. Martio.*

6. *Marinelli regimen mulierum ex Ital. in lat. translatum ab eod.* conf. IO. GEORG. SCHENCKIVS. *Bibl. Med. p. 224.*

Ceterum inſigne eius in bonas literas, medicas imprimis, ſtudium tum bibliotheca eius teſtatur, optimis libris referta, cuius Catalogus publice extare dicitur SCHENCKIO *l. c.* tum collectio multorum rariorum ſimplicium demonſtrat, quam mirifice ſe cupere innuit CONR. GESNERVS in *ep. ad A. P. Gaſſerum,*

*Epist. Medicin. L. I. p. 44.* conf. PASCHAL. GALLVS. *Bibl. Med. p. 129.*

XII. LVCAS STENGELIVS, Marci filius, Augustanus, lucem hanc vidit Anno MDXXIII. Medicinae Doctor creatus est Patauii anno MDXLIX. d. 12. Ian. reuersusque in patriam vxorem duxit Felicem, Bernardi Waltheri, Patricii, filiam, Anno MDLI. Immortale sibi inter Augustanos Medicos nomen fecit, quod ipso potissimum auctore et instigatore Illustris Senatus Collegium Medicum erexit datis articulis et peculiari de ea re decreto anno MDLXXXII. constitutoque eo Decano primo; quod quoque munus gessit continua serie annis quinque, mensibus septem, quo id Anno sc. MDLXXXVII. cessit, capulo proximus, defunctus scilicet eodem anno d. $\frac{18}{28}$ Decembr. teste *Protocollo Coll. Med. T. I.* et *Matr. Coll. Med. Aug. p. 76.* conf. IOH. GVALTERIVS siue IANVS potius GRVTERVS, in *Chron. Chronicor. Polit. Eccles. T. II. p. 1123.* SIMLER. *Bibl. p. 549.* Praeter articulos Collegio Medico praescriptos, quos Stengelium auctorem agnoscere, ipse ille exemplari cuidam, quod iam perillustr. Duumuirum IO. A STETTEN, possessorem agnoscit, adscripsit, confirmat quoque *Protocoll. Coll. Med. T. I. p. 19.* Edidit quoque

1. *De vsu Stibii, Aug. Vind. 1565. 4.* Hunc librum cum MICHAEL TOXITES impugnauisset, edita: *Spongia Stibii aduersus Lucae Stengelii, Medici Augustani, adspergines;* emisit Noster

2. *Apologiam aduersus Stibii spongiam, non ita dudum a Mich. Toxite editam; cui insuper adiuncta est quaestio: num id ipsum ab aegris citra vllum incommodum per os assumi possit. Aug. Vind. 1565. 4.*

3. *Conclusiones 27. super Q. an ratio curandae pestis amissione sanguinis an ab alexipharmaci vsu auspicanda sit? Conclusio-*

*nes*

*nes 34. an pestem necessario sequatur febris pestilens? Aug. Vind. 1566. 4.*

4. *Io. Bapt. Montani metaphrasis summaria eorum, quae ad medicamentorum doctrinam attinent, edita a L. S. Aug. Vind. 1571. 8.*

5. *Theses de natura, causis et curatione morbi epidemici, Aug. Vind. 1580. 4.*

6. *Conclusiones de peste, Occonis III. quoque nomine elaboratae,* de quibus vid. quae in *vita Occonis III.* diximus.

7. *Antitheses contra propositiones Sarmaticas Alexandri a Suchten*, Stengelii et Gasseri nomine editae, vid. *vita Gasseri Amoenit. liter. T. IX.* conf. SCHENCKII *bibl. med. p. 381.* MERCKLIN *Linden. renou. p. 756.*

Ceterum CONR. GESNERVM magni quoque fecisse Stengelium ex multis eius epistolis patet. vid. *Epp. Medicin. f. 26. 35. 36. 39. 40. seq. 48. 61. seq. 77. seq.* vbi eum virum vocat ingeniosissimum et doctissimum.

XIII. GEORGIVS LAVBIVS, Augustanus, luce vti coepit anno MDLIV. et Tubingensi atque Gallicis et Italicis Academiis lustratis Doctoris insignia accepit Pisae anno MDLXXV. quo anno Augustam delatus et Collegio medico adscriptus vxorem duxit Veronicam, Io. Waiblingeri filiam, eaque defuncta 1576. Ioannam Remiam, obiitque d. 10. Nou. 1597. testante *Protoc. Coll. Med. T. I.* Vitam eius dedere ADAMI in *vit. Medic. p. 153.* FREHER. in *Theatro p. 1300.* et ex his *Lex. vniu. hist.* Debemus huic viro ad promouendas res literarias Medicasque nato *rosae Anglicae* dictae siue *Ioannis Gadesden, Anglicae Practicae* elegantem impressionem, magnis eius expensis, non gloriae stimulis, aut lucri impulsu, sed vtilitatis publicae proposito atque amore (testante id in dedicatione ipsi honorifice

scripta

ſcripta a Dn. Philippo Schopfio) Anno MDCXXXXV. *Aug. Vind.* factam; verba ſunt Illuſtr. SCHROECKII in *Hyg. Aug. p.12.* qui addit: *eum plurima alia eruditionis ſingularis indicia publice praebuiſſe.*

XIV. LEONHARDVS RAVWOLFIVS, Medicus idemque Botanicus celeberrimus, viſitatis celebrioribus Galliae et Italiae Athenaeis Valentiae tandem, prouinciae Delphinatus metropoli, Anno MDLXII. ſumma in re medica faſtigia conſecutus eſt. In patriam reuerſus vxorem duxit Reginam, Ambroſii Iungii iunioris filiam, quacum priuatim viuens praxinque medicam exercens ſeceſſit tandem Aicham pauloque poſt Campodunum, anno tamen MDLXX. Auguſtam reuerſus eſt, teſte *protoc. Coll. Med. l. c.* Cum vero magno rei botanicae amore et ſtudio flagraret, Anno MDLXXIII. d. 18. Maii Senatu concedente in Orientem excurrit, et per Syriam, Arabiam, Chaldaeam, ceterasque regiones itinere facto, multa rariſſima ad cognitionem ſtirpium et plantarum praecipue facientia inſano labore et ſumptibus, quos Melchior Manlichius affinis eius ſuppeditabat, collegit, et poſt triennium reuerſus, priſtini muneris vices iterum ſubiuit: ſtipendio annuo centum florenorum procurando Noſocomeo peſtilenti auctus. Cum vero anno MDLXXXVIII. infauſti de Calendario Gregoriano in eccleſiam et rempublicam recipiendo motus maxime animos diſtraherent, Rauwolfius quoque conſcientiae et religionis libertatem cauſatus eas partes, quae nouum Calendarium recipiebant, amplecti noluit; dimiſſus itaque a munere, vrbe exceſſit cum familia et Lintium migrauit, ibique Poliatri et Archiducum Auſtriae Medici officio functus eſt, tandem copiarum ſuperioris Auſtriae Phyſicus in Hungariam abiit, et in obſidione caſtri Hatwan in caſtris dyſenteria correptus anno MDCVI. vivis exceſſit, vti non ſine meritis eius laudibus narrat, TOBIAS COBERVS *obſeru. caſtrenſ. Dec. III. obſ. 3.* conf. ADAM. *vit. medic.*

*dic.* FREHER. *theatr. p. 1288.* Quantis laudibus eum mactauerint eruditi, neminem historiae literariae medicae vel mediocriter peritum latet. IOACH. CAMERARIO enim in *horto medico p. 19.* audit *doctissimus atque in rebus naturalibus inuestigandis studii indefessi vir;* conf. cel. SCHROECKIVS in *Hyg. Aug. p. 12.* GESNERI *Ep. Med. f. 60. 68. 69.* HERM. CONRING. in *Introd. in vniu. artem Medic. C. X. §. 15. p. 305.* Fructum vero itineris molestissimi, ast curiosissimi, edidit: *Hodoeporicon, s. Itinerarium Orientale, Lauingae* primum *1583. 4.* tum *Francofurti tribus Tomis editum*, bonaeque frugis plenum. Digna vero, quae hic de industria Rauwolfiana legantur, sunt, quae V. C. GVNTHER. CHRISTOPH. SCHELHAMERVS in *additamentis ad l. c. Conringii p. 343.* hunc in modum scripsit: *Rauwolfii illius collectionem Herbarum, quam in peregrinationibus suis fecerat, in Pedemontano solo, Nizzae, in Prouincia circa Massiliam, in Syria, ad montem Libanum, Antilibanum, per Arabiam, iuxta Euphratem, in Chaldaea, Assyria, Armenia, Mesopotamia; (ita enim titulus habet) annis 1573. 1574. 1575. quatuor vastis libris, in quibus omnes plantae siccatae nitidissime repositae, apud celeberrimum virum Isaacum Vossium Hagae Comit. 1660. fuisse, ibique a se visam nobis asseruit nobilissimus Vir, Henricus Meibomius, Collega noster honorandus. Fuisse autem haec praestantissima volumina in electorali Bauarica bibliotheca asseruata, ex ipso Vossio intellexit, qui simul paralipomena Botanica quaedam ope obseruationum Rauwolfianarum scribere in animo habuit, modo Didymum Alexandrinum de plantis Aegypti manu scriptum Venetiis extantem accepisset. Nondum id praestitit vir doctissimus, forte, quia voto apud Venetos excidit. Interim meretur, quantum coniicimus, totum opus descriptis per Chalcographum plantarum figuris edi; non parum enim lucis inde affulsurum rei herbariae veterum. etc.*

XV. TOBIAS CNEVLINVS, Gengensis, anno MDLXXII. Basileae laurea Medica redimitus, Augustam venit

anno MDLXXVI. ſtipendio annuo 150. fl. ad curam Noſocomei publici gerendam conductus, teſte *Protoc. Coll. Med. T. I.* tribus vicibus Decanatus munere functus obiit MDCI. die 7. Decembr. vid. *Matric. Coll. Med. p. 83.* In *Obſeruationum Schenckianarum* doctiſſimo opere, cui egregias nonnullas contulerat, eum celebratiſſimum vocat, D. L. SCHROECKIVS in *Hyg. Aug. p. 12.* Filium is habuit *Ieremiam*, Medicae quoque artis Doctorem, et per duodetringinta annos Noſocomeo peſtifero praefectum, qui, cum Eccleſiae Romanae ſacris intereſſe ciues Auguſtani, Ferdinandi II. Imperatoris nomine, muneris abdicatione, ni parerent, indicta, iuberentur, maluit loculo, quam conſcientiae, conſulere, vnicuſque ex Collegio Medico fuit, qui iſtis ſacris adfuit, e vita ereptus die vltimo Dec. anni M D C XXXI.

Habes hic B. L. breuem *Medicorum Auguſtanorum*, qui OCCONIBVS *coaeui* fuerunt, notitiam, cui plura facile addet, plenioraque dabit, cui occaſio tempuſque ſuppetunt. Poterant iam plura et prolixiora de *Medicis Auguſtanis*, *qui horum aetatem ſecuti ſunt*, dari, et ita *Rei medicae apud Auguſtanos* luculentior conſtrui *hiſtoria*; verum ea nos, extra ſtudiorum noſtrorum cancellos tantum non rapti, pedemque mature referentes, doctioribus, medicaeque artis fautoribus et doctoribus, meliora et elegantiora daturis, relinquimus ſaliuam leui hac ſcriptione mouiſſe contenti.



*I. N. I.*

I. N. I.

## CAPVT PRIMVM

# DE VITA OCCONIS I.

§. I.

QVemadmodum nullum eruditionis genus humani ingenii nobilitatem extulit, quod non ſanguine nobiles, auitaque proſapia illuſtres nactum fuerit non patronos modo atque Maecenates, ſed clientes quoque atque alumnos; ita diuina potiſſimum medendi ars filios non tantum ſuos ad ſuprema honorum culmina euexit promouitque, ſed et multos inter eos numerauit, maiorum imaginibus ſuperbientes, et vetuſtiſſima cera ſua ornantes atria. (a) Admodum illu-



(a) Tanta apud Graecos praecipue artis Machaonicae veneratio fuit, vt celebriores ſuae gentis medicos Aeſculapium, Machaona, Podalirium, Paeona inter Deos referrent, ſummiſque dignarentur honoribus. Tanta quoque medicinae exiſtimatio apud eos fuit, vt, referente HYGINO *fab. 274.* lege publica feminis ſeruiſque interdicendum ſtatuerent, ne medicinam facerent, ſicque honoribus diuinae artis conſuleretur; etſi, monente EODEM, ingenuis poſtea permiſſa fuit, vid. IO. MEVRSIVS *Themid. Attica l. II. c. 9. p. 82.* Vnde nobilium inter Graecorum apud Alexandrum M. exercitum medicorum meminit CVRTIVS *l. III. c. 6.* Immo inter alias gentes, Aegyptios potiſſimum, vſu receptum fuit, vt reges medicinam facerent; qua de re, ne prolixi ſimus, adeundus eſt ANDR. OTTOMAR GOELICKE, in *Hiſtor. Medic. vniuerſ. Per. II. §. 33. ſeqq. p. 136. ſeqq.* Apud Romanos ſeruile quidem nonnunquam medicinae nomen fuit, id quod ANTONII MVSAE, celebratiſſimi in aula Auguſti medici, exemplo nonnulli comprobant; quos tamen falſos eſſe docte expoſuit LVD. CHR. CRELLIVS in *diſſ. de Antonio Muſa*, qui non tantum equeſtri dignitate ornatum Muſam fuiſſe, ſed et a ſeruili conditione longe abfuiſſe, contra Dionem euicit. Ab eo certe tempore multum Medicorum dignitas apud Romanos inualuit, et admiſſi ad amicitiam principum virorum; vid. ISAAC. CASAVBON. *ad Sueton. Caeſar. c. 4.* fruſtraque illi ſunt, qui ſolis ſeruis abiectaeque ſortis homini-

ſtre imprimis exemplum nobis ſiſtit, de cuius vitae ratione commentaturi ſumus, ADOLPHVS OCCO I. Medicus Auguſtanus, qui non artis tantum felicitate et experientia illuſtre ſibi nomen peperit, ſed ex nobiliſſima quoque et antiquisſima inter Friſios gente ortus fuit, in qua Seculo iam XIV. ex Noſtri maioribus aliquem equeſtrem dignitatem accepiſſe, et ob eam cauſam a ſuis ciuibus libertati ſuperſtitioſe addictis necatum, ab vxore generoſo auſu feliciqne euentu vltum fuiſſe, refert ALBERTVS KRANZIVS. (b) Patrem ipſum Noſtri, quem

bus hanc medendi prouinciam apud Romanos legibus contigiſſe, arbitrantur; id quod contra ROBORTELLVM, DEMPSTERVM, PIGNORIVM alioſque poſt CASAVBONVM *l. c.* IAC. SPONIVS quoque *dans les recherches cur. de l'. antiq. diſſ.* 27. CAR. DRELINCOVRT in *Apolog. Med.* DAN. CLERIC. in *Hiſt. Med. P. III. l. I. c. 2.* et ANDR. OTTOM. GOELICKE *pec. epiſtola* latius demonſtrarunt, vt ea taceamus, quae haud ita pridem inter Anglos hac de re ſatis vehementer diſputata ſunt. vid. CAR. LA MOTTE *de ſtatu et condit. Phyſic.* conf. *Bibl. Angloiſe T. XV. art. II.* Inter Chriſtianos vero Medicinae ſtudium tanto dignum iudicatum eſt fauore, vt ſummi eccleſiae praeſules medicinam facere non erubeſcerent. vid. IAC. SIRMONDVS *ad Ennod. p. 40.* et PROSPER MANDOSIVS, *de Pont. Max. Archiatris*, cuius ſummam referunt *Acta erudit. 1697. p. 183.* Immo nec regibus diſplicuiſſe artem ſalutarem IO. HENR. MEIBOMIVS expoſuit; *Princeps* vero *Medicus* DAN. GEORG. MORHOFII *de curatione* tantum *ſtrumarum, quae a Regibus Angliae et Galliae fit*, diatriben exhibet doctiſſimam. vid. IO. MOLLERI *Prolegom. ad D. G. Morhofii Polyhiſt. liter. p. 37.* add. MATTH. BERNEGGERVS *Orat. V. p. 150. ſeqq.* et qui *de nobilibus Medicis* docte tractat ANDR. TIRAQVELLVS *de nobilit. p. 266. ſeqq.* quibus adiici poſſunt, qui de nobilibus certae alicuius regionis eruditis commentati ſunt, quales ſunt B. AD. RECHENBERG. in ſched. *de nobilitate Miſniae literata*, CAR. MEISNERVS, *de equitibus Sileſiae graduatis*, et huius generis alii. Confer quos laudat Cel. IO. ALB. FABRICIVS *Biblioth. Gr. l. VI. c. 7. Vol. XII. p. 737. ſeqq.*

(b) in *rebus Sax. l. X. c. 14.* vbi inter alia: *Phryſii, ſuperbum genus hominum, et quod ſibi multum arrogat de libertate*, Ockonem, *virum in eis primarium, quod inter Germanos militans, militare cingulum acceperit, factus eques auratus, occiderunt, arbitrati illum a patria libertate degeneraſſe, cui peregrinam inducere tentauerit nobilitatem. Vxor autem*

quem ADAMI (c) et FREHERVS (d) *Haingum* nominant, in antiquis vero gentis huius chartis et genealogica ſtirpis OCCONVM deſcriptione, hodienum paſſim Auguſtae extante, cuius hic quoque accuratum et plenum exemplar exhibemus, *Hagninus* vel *Hagnigus* vocatur, equeſtri familia oriundum fuiſſe, omnes, quotquot Noſtri memoriam exararunt, vno ore fatentur, non diſſentientibus, quae modo laudauimus, monumentis manu ſcriptis. Hoc parente *Oſterhuſae in Friſia Occidentali* A. S. R. cIↄ cccc XLVII. (e) natus, et cum ſanguinis nobilitate ingenii praeſtantiam haereditario quaſi iure nactus, non potuit non auitum decus maiorumque gloriam virtute partam propriis augere meritis, priſtinoque gentis ſuae decori nouos addere radios. Anno enim, vt coniicere licet, (f) *ſupra*

 *milleſi-*

*Ockonis viri necem vindicatura, ad Comites de Altenborg et Delmenhorſt profecta, arma comparat in tumultuantes. Non contemnenda manus erat, quam ducit in Phryſiam: eccleſiam, quam de more gentis in caſtellauere, oppugnant, deiectaque ea, Phryſios ibi repertos ad ducentos iuſſit capite plecti.* Conf. MART. CRVSIVS in *Annal. Sueu. P. III. l. VI. p. 316.* MELCH. ADAMI in *vit. Medic. p. 176.* qui ad annum 1392. iſta referunt. Ceterum de *Occonianae familiae* ſplendore, nobilitate, et auita in Friſiacarum terrarum incolas poteſtate et iuribus multa collecta inuenire licet in Hiſtoria Friſiae Orientalis, quae nutu et voluntate Sereniſſimi Principis ex monumentis fide dignis et diplomatibus quoque conflata prodiit Auriaci 1720. fol. lingua vernacula, *vid. T. I. l. I. c. 5. l. II. n. 22. 24. l. III. n. 9. 21.* etc. conferendusque ipſe VBBO EMMIVS *l. XV. p. 217. l. XVIII. p. 19. 20.* et addendus quoque PHIL. CAESIVS in *deſcript. vrbis Amſtelod. p. 393.* qui OCCONES enumerat, ſummis Reipublicae honoribus in celeberrimo iſto emporio defunctos. Inter quos inprimis notandus POMPEIVS OCCO, vir et ipſe eruditiſſimus, et eruditorum Maecenas ſummus.

(c) *l. c.*

(d) *theatr. viror. erud. clar. p. 1215.*

(e) Si epitaphio Occonis, prout illud DAN. PRASCHIVS, in *Epitaph. Aug. P. I. p. 11.* recenſet, ſtandum eſſet, natiuitatis annus referendus erat ad annum 1456. addit enim: *naſcitur anno 56.* Sed in epitaphio non, *naſcitur*, ſed, *vixit*, extare, ocularis lapidis inſpectio quemlibet docet.

(f) Ita enim in epiſtola ad primum bonarum literarum inter Germanos

*millesimum quadringentesimo nonagesimo* sanitati illustrissimi Principis *Sigismundi*, *Archiducis Austriae*, tuendae admotus, (g) multam famae et facultatum quoque accessionem fecit, (h) cum *Oeniponte* medicinam faceret.

§. II.

Augustam quoque Vindelicorum delatus, (i) ibique medicinam faciens, tanta artis felicitate et experientia vsus est, vt hodie quoque inter celeberrimos vrbis antiquissimae medicos haud postremum obtineat locum, perque nouennium plurimos mortis faucibus eriperet, donec ipse fato omni arte potiori debitum solueret, anno post Christum natum cIɔ Iɔ III. die vigesimo quarto Iulii. (k)

§. III.

vindicem, IOAN. REVCHLINVM Anno cIɔ cccc XCI. *Oeniponte in profesto D. Catharinae* scripta, quae in rara *Epistolar. ad Io. Reuchlinum scriptarum collectione p. 11. b. 12. a.* extat, inter alia: *Congratularis mihi, fortunisque meis; pergratum est, et ego mediocriter admodum gaudeo: cum magno enim emolumento curae maximae et iugis labor accessit.*

(g) *l. c.* enim vocat se: *Illustrissimi Sigismundi Archiducis Austriae Medicum;* conf. ALARD. AMSTELRED. in *Epist. ad Clenard. T. II. Opp. Rudolph. Agric. Col. 1539. 4. edit.* praefixa, et ex illo SVFFRID. PETRI *de Script. Frisiae Dec. VIII. p. 54.* ADAMI et FREHERVS *ll. cc.*

(h) Id quod ipse in *alia ad Eundem Epistola 1494. scripta* innuit, his verbis: *Ego, vt soleo, semitam meam tero, seni meo aduigilo, lucellumque, quod prouenit, quod apud nostrates non exiguum esset, cum studiorum meorum iactura de more offertur. Crescunt opes, abit, aut abiectior iacere cogitur, philosophia, dulcesque ante omnia Musae.* Et in Epitaphio:

*Me docuit Phoebus versus artemque medendi,*
*Hinc mihi diuitiae magnaque fama fuit.*

(i) De quo *Protocollum Colleg. Med. August. T. I. p. 1.* haec verba habet: *Adolphus Occo, Frisius, cum fuisset Medicus Illustrissimi Archiducis Austriae Sigismundi circa annum 1490. tandem circa annum 1494. Augustam venit, in ea vixit magna cum gloria ad annum Christi 1503. etc.* Conf. *Epist. Reuchlini l. c.* vbi tamen *quarta Iulii anno 1494.* ad Reuchlinum iam scribit: *Multo tempore se absuisse ab Augusta.* Eundem tamen aduentus eius Augustae annum indicat et *aliud MSC.* ab Illustri SCHROECKIO Nostrate beneuole communicatum.

(k) *Protocoll. Coll. Med. l. c.* et *Epitaph. mox dandum.*

§. III.

Ad ipſum vero mortis genus quod attinet, incautum ipſum a ſuprema hora fuiſſe ſuppreſſum, epitaphium OCCONIS noſtri in Eccleſia, quae Auguſtae eſt, cathedrali hodienum extans, haud obſcure innuit. (l) Veneno ſublatum fuiſſe, auctor eſt IO. STRIDBECKIVS; (m) qui vero, cum nec nefandi facinoris auctorem nec cauſam afferat, nec vnde iſta hauſerit, indicet, rem in medio relinquimus.

§. IV.

Quantus vero vir fuerit, quantumque ad reducendas in Germaniam et priſtino nitori reſtituendas bonas artes et humanitatis ſtudia contulerit, multa nobis documenta ſuperſunt. Nam et in re medica ſuae aetatis facile princeps extitit (n), et tantos

(l) Duplex illud eſt; vnum lateri adhaerens, alterum oſſa tegens. Iſtud hos verſus exhibet, litteris grandiuſculis expreſſos:

*Dic, rogo, qui tranſis, requieſcant buſta ſepulti,*
*Friſius Adolphus nomine dictus Ocho.*
*Excolui ingenium Graecis ſimul atque Latinis,*
*Orbe vagans tractus Pieridumque choris.*
*Me docuit Phoebus verſus artemque medendi,*
*Hinc mihi diuitiae magnaque fama fuit.*
*Me miſerum! non cautus eram, ſecurus agebam,*
*Sicque improuiſum me fera Parca rapit.*
*Vos animis igitur veſtris natiſque boniſque*
*Conſulite in tempus, nos breuis hora manet.*
*Vix. ann. 56. ob. ann. 1503.*

Hoc vero huius argumenti eſt:

*Anno Dni MDIII. quarto die Iulii obiit praeclarus vir*
*Adolphus Occo,*
*Artium et Medicinae Doctor*
*Cuius anima cum Chriſto viuat.*

Conf. DAN. PRASCH. *Epitaph. Aug. P. I. p. 11.*

(m) in *Genealogia Occonum MSC.*

(n) Egregium hac de re eſt V. C. IACOB. BVRCARDI teſtimonium in *Medico grauiſſimo humanitatis ſtudiorum vindice, p. 32. Quod ſi medicinam ab Adolpho Occone, Friſio, Sigismundi Archiducis Auſtriae Medico,*

tantos in poëtica arte progreſſus fecit, vt inter primos gentis ſuae poëtas numeraretur, (o) et in reliquis elegantiorum literarum ſtudiis principibus in orbe literato viris ita ſe probauit, vt non multum tantum ab iis amaretur, (p) ſed et oraculi inſtar

*in Germania inſtauratam affirmauero, non multum aberraturum me ſpero. Non enim medicinam modo, ſed omnes etiam ingenuas artes ante Occonis aetatem craſſiſſimis occultas atque circumfuſas tenebris iacuiſſe in Germania nouimus. Quid, quod de ſingulari viri eruditione ac propenſo maxime ad optimas doctrinas animo elegantes ipſius epiſtolae neminem dubitare ſinunt.* Illas vero ſupra iam adduximus. Conf. *Epitaphium modo allatum.*

(o) Magnam ipſi ex arte faciendi verſus famam ortam fuiſſe in *epitaphio laudato* dicitur. SVFFRIDVS PETRI vero *de Scriptor. Friſ. Dec. VIII. p. 52.* CELTIS PETRVCCII verſus de *tribus Friſiae poetis* affert, et RVDOLPHO quidem AGRICOLAE primum, OCCONI noſtro ſecundum, THEODORICO VLSENIO tertium locum tribuit, his verbis:

*Tribus Poëtis Friſia nobilis*
*Claret. Rudolphus primus Agricola,*
*Adolphus alter, qui Medicus fuit,*
*Clarus per oram noſtram Alemannicam.*
*Doctus Pelasgis diſciplinis*
*Et Latiis pariter Camoenis.*

Conf. MELCH. ADAMI et P. FREHER. *ll. cc.* Extat vero THEODORICI quoque VLSENII, de quo mentionem iniecimus, carmen ad OCCONEM noſtrum, adiectum epiſtolio de inſania Democriti, ab Hippocrate, vt fert fabula conſcripto, quo laudes fidei decantat.

(p) Ita in MSC. ſupra laudato. Teſtes quoque luculenti ſunt epiſtolae Noſtri ad Reuchlinum, in quibus *ſummam eius erga Adolphum charitatem beneuolentiamque depraedicat, gaudetque ſui memoriam Reuchlino ante oculos animumque verſari, et reciproco ſe ab eo amore teneri. Immo tantum eius in ſe eſſe amorem, ait, quem vulgus intelligere nequeat, cuique vix aliquid poſſit adiungi.* Sic et Rudolphi Agricolae, Groeningenſis, intima gauiſus eſt amicitia, cuius aſſiduum illum in ſtudiis collegam fuiſſe notat SVFFRID. PETRI *de Scriptor. Friſ. Dec. VIII. p. 52.* Conf. *Agricolae Opp. p. 10. b.* et *Epiſtolae ad Barbirianum p. 205.* Huius amicitiae documentum eſſe poteſt, quod clarorum virorum elogia et epitaphia honori et memoriae defuncti Agricolae dicata collegerit, et *Tomo II. Opp. R. Agricolae* praefici Noſter curauerit. Eandem amicitiam cum Friderico Dalburgio aliiſque eum coluiſſe, ex *epiſtolis Eius ad Reuchlinum* colligere licet.

ſtar conſuleretur, (q) et bibliotheca quoque eius, quam numeroſiſſimam habebat, amicis communis fieret. (r) Nihil enim theſaurorum literariorum tam reconditum poſſidebat, quod non amicis vltro offerret vir iuuandae rei literariae natus dicatusque. (s) Cuius memoria eo carior nobis eſſe debet, quo maioribus nos ſibi beneficiis obſtrinxerunt, qui, excuſſo primum duriſſimo barbariei iugo, quod Germaniae ceruices foede premebat, elegantiores literas felici ſidere reduxerunt.

CAPVT

(q) Innuit hoc *Epiſtola tertia ad Reuchlin. p. 13.* ex qua apparet, hunc Noſtro *Baſilium et Catonem tranſmiſiſſe, noſtrum vero Baſilium, mendis territum innumeris, exſcribere moleſtum duxiſſe: Catonem vero, quem euolutis ſarcinulis ſuis, aliquot codicillis neglectum inuenerat, in eius gratiam abſoluiſſe, et ita Catonem mancum feciſſe integrum.*

(r) Poſſediſſe Noſtrum bibliothecam multo inſtructiſſimam, eamque cum Rud. Agricola communem habuiſſe refert ALARD. AMSTELREDAMVS in *notis ad Rud. Agricolae Epiſt. ad Iac. Barbirian. Opp. Agric. P. II. p. 211.* et in *Epiſt. ad Clenard. Tomo II. Opp.* praefixa. conf. MELCH. ADAMI et P. FREHER. *ll. cc.* et Ipſe Noſter *Ep. ad Reuchlin. p. 12.* Quod vero iſte aſſerit, communem fuiſſe hanc librorum ſupellectilem cum Rud. Agricola, de vſu forte magis, quam poſſeſſione intelligendum eſt. Auguſtae enim libros ſuos habuiſſe, ex laudata modo epiſtola liquet, qui ita Agricolae fuiſſe vix potuerunt poſſeſſio. Qua in coniectura confirmamur ex eo, quod laudatus ALARD. AMSTELREDAM. *l. c.* referat, *Occonem* noſtrum, qui, quod caelebs erat, ſucceſſore deſtituebatur, Bibliothecam ſuam ex ſorore nepoti POMPEIO OCCONI reliquiſſe, eamque anno 1539. Amſtelodami adhuc extitiſſe, quod in communi bibliothecae poſſeſſione vix potuiſſet fieri.

(s) Fatetur hoc ipſe in *literis Auguſtae cIↄ cccc XCIIII. ad Reuchlinum* datis: *Ego librorum ſupellectilem, quanta vbique et apud me eſt, doctis omnibus, et mihi quoque doctrinam exiguam profitenti communem arbitratus ſum;* etc. et paulo infra: *Poſtquam te et amicum, καὶ ἐν τῇ φιλίᾳ κοινὸν eſſe mihi perſuaſi, quid non libros reliquamque ſupellectilem amicitiae virtute longe inferiorem libentiſſimo animo communicarem?* Ex quibus verbis, quod modo diximus, ſatis luculenter patet, quo ſenſu bibliotheca eius aliis communis dici potuerit.

## CAPVT SECVNDVM

# DE VITA OCCONIS II.

§. I.

Etsi non nisi ingenii filios ex se posteritati reliquit ADOLPHVS OCCO, *primus* huius nominis, de quo in praecedenti capite sermonem instituimus, quod caelibem vitam ad finem vsque ageret: ne tamen nominis gentisque memoria obliteraretur, fecit ADOLPHVS OCCO, *secundus* hoc nomine clarus. Is non illo quidem parente natus est, sed patriam habuit *Brixiam* (a), episcopalem in comitatu Tyrolensi sedem, vbi anno MCDXCIV. (b) in hanc mundi scenam prodiit, silentibus tamen, quibus vsus sit parentibus, monumentis; quos vero generis necessitate proxime ad Occonem primum pertinuisse, dubitandum non est. Illud certum, Nostrum a celeberrimo isto Medico filium fuisse adoptatum, (c) et cum nominis fama et bonorum possessione eruditionem quoque, ad quam tanto parente et patrono duce grassabatur, accepisse. Studiis enim artis salutaris ex voluntate parentis dicatus, tantos non

(a) Ita quidem *Gentis Occonianae tabulae genealogicae* docent, quae MSC. Augustae Vindelicorum conspiciuntur, satisque antiquae sunt, vt ad ipsam Occonum aetatem, qui aliis postea, iisque primariae dignitatis familiis iuncti fuerunt, apud quas eae hodienum asseruantur, queant referri. Ex iis stirpis Occonianae descriptionem genealogicam dedit IO. STRIDBECKIVS inter *Genealogias Augustanas antiquas*, quae adhuc in MSC. latent, Lib. II. p. 371. qui eandem patriam affert; vnde non immerito coniicimus, alium ex Occonum gente ibi sedem fixisse, cuius filius Occoni Medico tam charus fuerit, vt in familiam eum receperit.

(b) Vid. DOMINICVS CVSTOS in *effigieb. clariss. literis, ingenio, fama, virorum Aug. Vind. 1612. fol.* editis in *praef. lit. B.*

(c) Testis est, praeter *Tabb. geneal. Occonianas Protocollum Collegii Medici Augustani Tomo I.* quod in limine *Syllabum Doctorum immatriculatorum refert*, Nostrumque Occonis I. filium facit adoptiuum.

# TABVLA GENEALOGICA GENTIS OCCONIANAE.

HAGNIGVS OCCO, vx. THEODORA aus Frießland.

ADOLPHVS I. geb. zu Oſterhauſen, einem Flecken in Oſt-Frießland, ex Familia equeſtri 1447. Sigismundi, Ertz-Hertzogs von Oeſterreich Leib-Medicus, kam 1494. nach Augſpurg, ſtarb den 4. Jul. 1503. unverheyrathet.

ADOLPHVS II. geb. 1495. in dem Bißthum Brixen, Filius Adoptiuus Adolphi I. kam nach dem Tod Kayſers Maximiliani I. nacher Augſpurg, heyr. 1523. Helena Weißin, ſt. den 13 Apr. 1572. begraben bey St. Anna aet. 77. Sie ſt. den 20. Oct. 1575. aet. 71.

ADOLPHVS III. geb. zu Augſpurg den 17. Oct. 1524. heyr. Anna Maria Dettichofferin den 20. Aug. 1554. Sie ſtarb den 2. Sept. 1576. heyr. II. Regina Geyerhoſin den 18. Nov. 1577. Er ſt. den $\frac{18}{28}$. Sept. 1606. (ſecundum Matricul. Colleg. Med. Aug. den 27, Sept. 1606.) aet. 82. Sie ſtarb den 25. Aug. 1628. Sein Wappen iſt vom Kayſer Maximiliano II. ſub dato 24. Nov. 1573. per Diploma verbeſſert worden.

ANNA, geb. den 8. Dec. 1526. heyr. Thomas Stahel von Eßlingen den 30. Nov. 1545. Sie ſt. den 9. Oct. 1546. Er ſt. den 24. Oct. 1565.

EVPHROSYNA, geb. den 2. Mart. 1529. heyr. Ulr. Greiner den 17. May 1553. Sie ſt. den 22. Nov. 1566. Er ſt. den 30. Jan. 1576.

HELENA, geb. den 8. Sept. 1536. heyr. Martin Zobel den 21. Juu. 1558. Sie ſt. den 13. Sept. 1603. Er ſt. den $\frac{27.\ \text{Dec.}\ 1584.}{6.\ \text{Jan.}\ 1585.}$

BARBARA, geb. den 8. Febr. 1539. heyr. David Berckmiller den 29. Jan. 1561. Sie ſt. den $\frac{6}{16}$. Sept. 1618. Er ſtarb den $\frac{16}{26}$. Sept. 1610.

REGINA, geb. den 17. Aug. 1540. ſt. den 35. Dec. 1540.

ANTONIVS, nat. Auguſt. Vindel. d. 7. Sept. 1542. obiit Lugduni in Arari ſubmerſus loco appellato A la Rua Salmo 1559. d. 29. Iun. ſepultus in templo a Confort.

SABINA et ANTONIA, Zwillinge, geb. den 17. Jul. 1544. (aliis geb. den 4. Sept. 1542.) Sabina ſt. eod. die. Antonia heyr. I. Georg Sigmund Oeſterreicher den 26. Nov. 1567. Er ſt. den 3. Nov. 1571. heyr. II. Johann Rertzer den 29. Octobr. 1572. Sie ſt. den 30. Aug. 1591. Er ſt. den 26. Febr. 1592.

## Aus der I. Ehe.

ANNA MARIA, geb. den 16. Sept. 1555. heyr. Johann Perckemeier den 13. Apr. 1580. Er ſt. den 1. Oct. 1599. Sie ſtarb den 13. May 1626. zu Wien an der Peſt.

ADOLPHVS IV. geb. den 16. Mart. 1559. ſt. den 26. Mart. eiusd. anni.

SVSANNA, geb. den 10. Febr. 1561. heyr. Johann Leſchenbrand den 13. Apr. 1580. Er ſt. den 9. Apr. 1618. Sie ſt. 1642.

BARBARA, geb. den 31. Jan. 1563. heyr. Chriſtoph Ludwig Neuhauſer den 13. May 1583. Er ſt. den 22. May 1603. (alius den 22. May 1604.) Sie ſt. den 16. Aug. 1607. bey St. Anna begraben.

ADOLPHVS V. geb. den 16. Octobr. 1565. ſt. den 24. Sept. 1570. bey St. Anna begraben.

DAVID, geb. den 13. Oct. 1567. Baſileae Doct. Med. creatus den 24. Aug. 1587. Collegio Med. Aug. adſcriptus den 10. Sept. 1587. obiit Viennae Auſtr. d. 11. Iun. 1595.

EVPHROSYNA, geb. den 22. Oct. 1569. heyr. 1. Simon Joſeph (alius Sigmund) Vetterlin zu Wien den 24. Jan. 1586. (alius 1587.) Er ſt. den May 1589. heyr. 2. Johann Blaw, Kayſ. Maj. Hof-Diener den 19. Feb. (alius den 1. Mart.) 1593.

ADOLPHVS VI. geb. den 30. Jan. 1572. ſtarb den 28. Nov. eiusd. anni (alius den 28. Nov. 1575.)

SABINA, geb. den 24. May 1573. heyr. Iohann de Voſſ von Cölln den 4. Nov. 1602. Sie ſt. den 4. Aug. 1619. Er ſt. den 28. Nov. (alius den 9. Nov.) 1619. zu Prag.

ABRAHAM, geb. den 20. Apr. 1575. Iſt mit andern Auguſtanis im Ungariſchen Krieg umgekommen A. 1605.

## Aus der II. Ehe.

ADOLPHVS VII. geb. den 24. Sept. 1578. wurde Doct. Med. zu Baſel den 2. Nov. 1600. heyr. den 26. Dec. 1601. Catharin Athemſtettin, ſt. den 20. Aug. 1628. an der Peſt.

MATTHIAS (alius MATTHAEVS) geb. den 15. Febr. 1582. heyr. zu Venedig Martha Königin von Nürnberg den 15. Nov. 1613. Er oder Sie ſt. zu Nürnberg den 5. Febr. 1620.

ATHANASIVS, geb. den 18. Fevr. 1583. ſt. den 6. Jan. 1584.

ADAM, geb. den 17. Sept. 1584. heyr. Barbara Häutmannin den 10. Aug. Er und Sie ſt. den 20. Jun. 1628. an der Peſt.

REGINA, geb. den 4. Jun. 1587. heyr. Johann Caſpar Pfiſter den $\frac{14}{24}$. Oct. 1613. Er ſt. den 17. Jul. 1614. Sie den 16. Mart. 1616.

URSULA, geb. den 27. Jan. 1603. ſtirbt den 25. Apr.

REGINA, geb. den 27. Febr. 1604. ſt. den 2. Mart. eiusd. anni.

CATHARINA, geb. den $\frac{14}{24}$. Febr. 1605. ſt. den 8. Apr. eiusd. anni.

ADOLPH VIII. geb. den 7. Febr. ſt. den 22. Mart. eiusd. anni.

IOH. ANDREAS, geb. den 14. Nov. 1608. ſt. den 16. Nov. eiusd. anni.

IOH. ANDREAS, geb. den 27. Sept. 1609.

ANNA CATHARINA, geb. den 21. Jul. 1611. ſt. den 18. Aug. eiusd. anni.

MARIA ANNA, geb. den 2. Aug. 1612. ſt. den 17. Sept. eiusd. anni.

ANTON, geb. den 27. Aug. 1613. ſt. den 26. Febr. 1616.

IO ALBRECHT, geb den 6. Jun. 1615.

ANTON, geb. den 10. Decembr. 1616. ſt. den. 21. May 1617.

MARTINVS, geb. den 23. Apr. 1618. ſt. den 12. Jul. eiusd. anni.

DANIEL, geb. den 26. Jun. 1619.

VERONICA, geb. den 21. Aug. 1621. ſt. den 9. Oct. 1621.

REGINA, geb. den 24. Oct. 1611.

IOACHIM, geb. den 12. Mart. 1612. ſt. den 5. Dec. eiusd. anni.

EVPHROSYNA, den 10. Mart. 1613. ſt. den 31. Mart. 1616.

BARBARA, geb. den 24. Jun. 1614. ſt. den 21. Decembr. 161x.

IOHANNES, geb. den 24. Jun. 1617.

IOACHIM, geb. den 19. Nov. 1618. ſt. den 16. Jnn. 1619.

ADOLPH. IX. geb. den 13. Sept. 1620.

MARTINVS, geb. den 10. Mart. 1622.

non in Medicinae tantum cognitione, ſed in omni quoque literarum ſtudio et humanitatis artibus progreſſus fecit, vt dignus habitus fuerit, qui anno MDXIX. in celebri Muſarum ſede, quae *Bononiae* floret, honoribus Doctoris Medicinae augeretur. (d)

§. II.

Ornatus ita Muſarum praemiis, et ſalutaris potiſſimum artis cognitione accurate imbutus medicinae faciendae operi ſe addixit, et poſt Maximiliani I. Imperatoris auguſtiſſimi, Auguſtanisque longe deſideratiſſimi, funera in ſplendidum hoc rerum non tantum publice geſtarum, et mercaturae per omnem terrarum orbem ſeſe diffundentis, ſed et bonarum literarum emporium ſe contulit, (e) ibique, quod rariſſime aliis euenit, vltra quinquaginta annos ciuibus reique publicae artem ſalutarem exercendo inſeruiuit, inter ſemiſeculares eruditos (f) numeran-



(d) Vid. *Idem Protocollum*, *l. c.*

(e) *Ibid.*

(f) Multa in hiſtoria literaria huius felicitatis exempla occurrunt, quae paſſim collecta videas. Dedit enim Cel. GOEZIVS *Epiſtolam de Theologo Semiſeculari, Lubec 1709. ad Ioann. Gottfr. Olearium,* qui felicitatis huius ſolemnia anno 1708. Dom. I. Adu. fecerat. Sic et IO. CHR. BLVMIVS *Iubilaeum Theologorum emeritorum*, ſiue *de Theologis per decem luſtra publico officio functis commentationem* edidit *philologicam et theologicam, Lipſ. 1710. 8.* Conf. *Neu. Bibl. P. IV. p. 348.* add. IO. GEORG. LEVCKFELDII *Theologi qui octogeſimum aetatis annum ſuperarunt,* et CHR. ALTMANNVS, *de eruditis vltimis retro ſeculis annum 70. ad vſque 80. ſupergreſſis Lipſ. 1711. 8.* quemadmodum et Rectores eadem muneris longaeuitate inſignes notauerunt B. LVDOVICI in *Hiſtor. Rectorum* et IO. CHRIST. KOCHIVS in *diſſ. Epiſt. ad M. Friſium Conrect. Altenburg. 1710. 4.* Ex noſtra hac vrbe iis propter immortalem, quam illuſtribus factis conſecutus eſt, gloriam addimus Auguſtae patriae, immo totius Germaniae decus, Medicorumque noſtrae aetatis, vt ſenio, ita meritis, anteſignanum Illuſtrem D. LVCAM SCHROECKIVM noſtratem, *Cel. Acad. Nat. Curioſ. Praeſidem etc.* in quo, quarto ſupra octogeſimum annum e viuis erepto non eruditionis tantum conſummatae felicitatem, ſed et vires in tam prouectae aetatis

merandus. Connubio quoque Augustanae ciuibus carior factus; duxit enim anno MDXXIII. decimo Cal. Maii Augustae nobilissimam virginem *Helenam Weisiam*, nobilissimi viri, *Leonardi Weisii*, qui secundus est huius praenominis, et *Helenae Spaeniae* filiam, (g) omni natalium virtutisque atque morum decore ornatam. Ex quo, cum ex primariis vrbis Augustanae familiis, quae nobilitatis et patricii axiomatis tandem dignitatem consecutae sunt, (h) virosque numerant multiplici meritorum de patria gloria insignes, orta fuerit, facile, quanta eruditionis artisque atque morum praestantia alios antecelluerit Occo, liquet.

## §. III.

Genuit in hoc matrimonio Noster filium cognominem, et eruditionis fama per orbem literarium celebrem, de quo, cum sequenti capite ex instituto dicturi simus, hic pluribus dicere nihil attinet; filias autem sex. (i) Non vero inter priuati nominis medicos Occonis praestantia depressa substitit, sed

viro satis vegetas stupuimus merito, ereptumque nobis tam nobile fidus dolemus. Eandem muneris diuturnitatem vitaeque longaeuitatem expertus fuit, celeberrimae famae Medicus GEORG. WOLFG. WEDELIVS, senior, illustre Ienensis Academiae totiusque Germaniae ornamentum.

(g) Testantur hoc *tabulae genealogicae Gentis Occonianae et Weisianae*, quae vtraque, illa in *Adolpho Occone octauo*, haec in *Leonardo Weisio* nono, summis apud Augustanos duumuiratus honoribus perfuncto, desiit.

(h) Post varia enim cum patriciae dignitatis hominibus contracta matrimonia et affinitates, munera item publice gesta tandem anno MDCXLVIII. in patricii ordinis numerum recepta fuit, postquam anno iam MDCXXXII. huic ordini destinata fuerat: duos vero vidit ex se summos ciuitati praefectos. vid. *Histor. regiminis August. nostra* potissimum *cura edita*, *p.* 212. 247. et in *suffixis catalogis virorum muneribus publicis praefectorum, voce*, Weiß, *Vitae* item *et icones Praefectorum Vrbis Augustanae.*

(i) *Tabb. Geneal. gentis Occonianae et Weisianae.*

ſed anno MDXXIII. inter Poliatros vrbis receptus, ſtipendium primo ſexaginta, mox centum, tandem viginti ſupra centum florenorum per triginta fere annos meruit, et noſocomeo quoque, quod miſeris et pauperioris conditionis hominibus illuſtriſſimorum *Fuggerorum* pietas erexit, viſitando praefectus eſt. (k)

§. IV.

Non vero praxeos tantum medicae felicitate, ſed et ampliſſima iuuandi bonas literas voluntate celebre ſibi Occo nomen fecit. Cuius imprimis egregium ſpecimen edidit, cum, quod artis forte negotiis nimis praepeditus, ipſe meliorum auctorum editioni manum admouere non poſſet, viris aliis eruditis manuſcriptos codices libroſque optimos ſubminiſtrauit, vt eorum opera melius et nitidius, immo prima vice ederentur. Celeberrimae enim famae medico IANO CORNARIO *Operum Hippocratis* codicem manu ſcriptum transmiſit, quem cum *Dalburgii* et *Gemuſaei* exemplaribus a NICOLAO COPO ſecum communicatis inſigni ipſi auxilio fuiſſe, non ipſe modo faſſus eſt, (l) ſed Auguſta quoque ea ſubſidia profecta eſſe, teſtatum fecit, cum nouam medicorum principis editionem (m)



(k) Referente *Protocollo Collegii Medici.*

(l) Vid. Dedic. IO. CORNARII ad *Matth. Heltum*, editioni *Hippocratis* Graecae, per *Frobenium*, *1538. fol.* editae, praemiſſa, et IO. GEORG. SCHENCK. *Bibl. Med. pag. 10.*

(m) Prima Graeca editio Operum Hippocratis prodiit, *anno 1526. fol. apud Aldum.* Hanc, cum multis locis vitio codicum, quibus vſus erat editor, corruptam, immo totis locis deficientem cerneret Cornarius, de noua editione cogitauit, poſtquam tribus Codicibus mſc. interque eos Occoniano quoque fuerat potitus; quam quoque ita executus eſt, vt pluribus quater mille locis redintegratis, qui in Veneta editione aut defuerunt ex toto, aut vitiati habebantur, tanta religione id faceret, vt nihil temere ſit mutatum, ita vt in ambiguis lectionibus eas potiſſimum ſecutus ſit, quas Galenum recepiſſe contendit. Ita reſtituto prius Graeco Hippocratis textu et apud *Frobenium Baſil. 1538.* edito, ad nouam eius verſionem ſe accinxit Cornarius, quam quidem Clementis VI, P. M. iuſſu, Codicibus

Senatui Auguſtano anno MDXLVI. inſcriberet, centum ſolarium coronatorum munere auctus. (n)

§. V.

Eandem quoque operam in protrudendo in publicos vſus NICOLAI MYREPSI, Alexandrini Medici, opere *de compoſitione medicamentorum* praeſtitit: cuius codicem mſc. primus Ioanni Agricolae Ammonio, Profeſſori Ingolſtadienſi, transmiſit, (o) qui eum cum breuibus annotationibus *Ingolſtadii 1541. 4.* edidit, *Venetiis 1543. 8.* repetitum. Quae vero editio manca adeo eſt, (p) vt noua adornanda fuerit, ipſa quoque meliorem deſi-

Bibliothecae Vaticanae vſus ſuſcipere iam coeperat circa annum 1530. *M. Fabius Caluus, Rauennas*, quae tamen verſio anno demum *1549. Romae fol.* prodiit, vid. IO. ALB. FABRIC. *Bibl. Gr. l. II. c. 24. Vol. I. p. 810.* omnibus tamen numeris abſoluta non eſt, ita vt Cornarii praeferatur, notante THOM. BARTHOLINO diſſ. *de libris leg. diſſ. IV. p. 118* Praeluſit vero Cornarius operi *verſione paraphraſtica* quorundam librorum Hippocratis, qua edita *Col. 1542.* tandem totum opus verſionis ſuae luci publicae expoſuit, primo quidem *Venetiis 1545. 8.* mox vero elegantiori charactere per *Frobenium Baſ. 1546. fol.* quam quoque Senatui Auguſtano, vti diximus, inſcripſit. Secutas alias editiones enumerat laudatiſſimus FABRICIVS *l. c.*

(n) Teſtibus GASSERO in *Annal. Augſburg. ad h. a. T. I. Script. rer. Germ. Menck. p. 1838.* MART. CRVSIO in *Ann. Sueu. l. II. p. 3.* FREHERO *theatr. p 1241.* ADAMI *in vit. Med. p. 39.*

(o) Vid. IO. GEORG. SCHENCK. in *Bibl. Med. p. 10.* IOS. SIMLERVS, in *Bibl. p. 7.* MELCH. ADAMI in *vit. Medic. p. 177.* Cel. FABRICIVS *in Bibl. Gr. Vol. XIII. p. 5.* Titulus libri eſt: *Nicolai, Alexandrini, medici Graeci liber de compoſitione medicamentorum particularium ſecundum genera, ordine literarum translatus e Graeco in Latinum a Nicolao Rhegino Calabro excuſus cum breuiſſimis annotationibus locorum difficilium Io. Agricolae Ammonii Ingolſt. 1541.* 4. add. CONR. GESNERI. *Epp. Medic. l. II. p. 178.*

(p) Ita enim de ea LEONH. FVCHSIVS, Medicus Tubingenſis, in *Dedic. nouae verſionis Nicolai* ad Senatum Norimbergenſem, quae in *Corpore medicorum principum ab Henrico Stephano. 1567. fol. editorum* quoque comparet, *p. 341. Non habet niſi vnam aut alteram initio libri cum Graecis conuenientem compoſitionem; caeterae omnes et ordine et medicamentorum commemoratione plurimum variant, et ex collatione palam*

desideraris. (q) Immo Conrado quoque Gesnero per filium eandem exhibuit beneuolentiam. (r)

§. VI.

Tandem cum tribus aliis Collegis Poliatrisque Augustanis, Ioanne Tiefenbach, Gereon Sailero, et Wolffgango Talhausero Senatus Augustani iussu, *Consilium de peste* edidit, hoc titulo: *Was die Pestilenz an ihr selbs seye, mit ihren Ursachen und Artzneyen, den Ersamen und weisen Burgermeister und Rathe, auch ganzer Gemein der Stadt Augspurg, durch die bestellten Doctores daselbst zu Nutz und Gut gemacht, und beschrieben, mit kurzer Widerlegung etlicher grober einfallender Irsaal, so sich bey uns wider der alten Schrifft und gegründete Ursachen zugetragen,* (Augspurg) *durch Philipp Ulhard, in 4. pl. 6.* Editionis annus expressus quidem haud est, non dubitamus vero, eum ad annum MDXXXV. referre, non leuibus argumentis suffulti. (s) Vnde per-

*fiat, hoc opus non esse Nicolai sed alterius cuiusdam, qui nonnulla ex Nicolao et diuersis aliis auctoribus in vnum congessit librum.*

(q) Fatetur enim ipse FVCHSIVS, se vsum fuisse codice adeo deprauato totque mendis consipurcato, vt vix aliud vnquam deprauatius viderit. conferantur, quos laudat Vir summus, IO. ALB. FABRICIVS *l. c.* qui pluribus de hoc Scriptore Graece nondum edito videndus.

(r) Vid. EIVSD. *Epp. Medicin. l. I. f. 62.* vbi inter alia: *Catalogus bibliothecarum parentis atque tuae, quo vetustiores tantum ac rariores libros enumeras, periucundus mihi est, et permulta in eo hactenus mihi incognita reperio, quorum vsus erit ad bibliothecam meam, etc.*

(s) Etsi editionis annus huius consilii Medici expressus non est, certam tamen satis eum hariolandi viam ipsi auctores aperuerunt, qui mox initio p. 1. post praefationem Ioannis Manardi mentionem faciunt, adiicientes: *so jetzt zur Ferrer* (Ferrarae, vbi Professorem Medicinae egit) *wohnet.* Ex quibus verbis luculenter patet, tum quidem, cum illud ederetur, Manardum, adhuc Ferrariae in viuis fuisse; obiit vero hic Medicus Anno 1536. teste HOFMANNO, FREHERO, KOENIGIO et reliquis, qui viros eruditos per modum Lexicorum enarrauerunt. Vnde quidem satis certe recteque infertur, viuo adhuc Manardo, id est ante annum 1536. pestem Augustae inualuisse, eiusque occasione consilium hoc esse editum. Id quod conditi vrbis annales quoque memo-

perperam faciunt, qui hoc patris ſcriptum cum alio filii eiusdem argumenti confundunt. (t)

§. VII.

Pauca haec ſunt, quae fatorum iniquitas de meritiſſimo de bonis literis, et imprimis de re medica, viro dicere permiſit; quod, ſi ea, quae filius de parente ac auo ad GESNERVM ſcripſit;

rant, vix crudelius vnquam peſtilentiſſimum morbum in ciues ſaeuiiſſe, quam anno 1535. et 1536. vid. GASSER. *Annal. Augſburg. ad h. a.* His addimus teſtimonium CONR. GESNERI, celeberrimi apud Tigurinos Medici, qui in *ep. ad Occonem III. d. 3. April. 1565.* ſcripta *l. I. Epp. Med. f. 70.* mox initio: *Ex libellis numero quinque nullum prius habui, in eorum vno ſub finem parentis tui, venerandi ſenis, nomen reperiſſe gaudeo, vel ob id, ne deſit mihi occaſio, inter ſcriptores medicos eum numerandi, quamobrem peto, ſi quid edidit aut ſaltem ad editionem parauit, vt admoneas.* Poſt aliqua vero: *in libello conſilii contra peſtem, quem parens tuus cum aliis tribus Medicis Auguſtanis confecit,* etc. quae certe verba, Occonem II. auctorem eſſe, non tertium, conficiunt.

(t) Faciunt id PASCHALIS GALLVS in *Bibl. Med. p. 5.* IOS. SIMLERVS in *Bibl. p. 7.* MELCH. ADAMI in *vit. Medic. p. m. 177.* IO. GEORG. SCHENCKIVS in *Bibl. Med. p. 10.* Cauſa vero confuſionis in eo latet, quod Occo filius cum Collega, Luca Stengelio, eiusdem argumenti libellum ediderit, cuius paſſim in epiſtolis ſuis mentionem facit Geſnerus: Ita enim *fol. 37. ad Ach. Prim. Gaſſerium: De Lucae Stengelii et D. Adolphi aphoriſticis quaeſtionibus circa peſtis cauſas, differentias et curationem ad Adolphum ſcribam, imprimendas non dabo niſi ipſi conceſſerint;* et in alia *fol. 39. Stengelii propoſitiones recognitas libenter videbo, et ſi typographus recipiat, nondum enim aliquid certi reſpondit, euulgandas dabo vna cum D. Occonis propoſitionibus, cui etiam hac de re reſcribo.* Eadem recurrunt *fol. 40. 41. 42. ſqq.* Quas propoſitiones de peſte ab illis, de quibus nos ſupra ſermonem fecimus diuerſas eſſe, vti ex ipſius Geſneri teſtimonio ſupra adducto ſatis luculenter patet, ita longo alio tempore editas eſſe, facile iudicari poteſt. Nec tum quoque demum, vbi de Stengelii et Occonis propoſitionibus edendis Geſnerus erat ſollicitus, Noſtri theſes de peſte impreſſae dici poſſunt; tum quia auctoritate Senatus in eius et ciuium praeſeruationem Collegarum quaternio eo tempore, quo peſtilentiſſimus morbus mirum in modum ſaeuiebat, illud conſilium edidit, quo certe fine et vſu fruſtrati fuiſſent, ſi non typis tunc, vbi admodum neceſſitas illud poſcebat, fuiſſet excuſum, tum quod in locis citatis, Geſnerus ſem-

psit, (u) nobis non inuidisset temporis iniuria, plura forte addi potuissent, vti plura memoratu dignissima virum, quem Musarum delicias merito vocaueris, (x) fecisse nemo dubitauerit. Ast istis priuati, hisce nihil addimus, nisi, illum idibus Aprilis Anno MDLXXII. aetatis anno LXXVII. (y) placide in veritatis Euangelicae confessione obdormiuisse, sicque vitae bene actae felicem imposuisse finem.

## CAPVT TERTIVM
## DE
# VITA ET SCRIPTIS A. OCCONIS III.

§. I.

QVi Graecorum mos fuit quondam, vt medicinae studium in quibusdam familiis aleretur, et posteris quoque per manus ac haereditate quasi traderetur, vnde ἰατρῶν παῖδες, Medicorum filii appellati sunt, artis salutaris magistri; eum in *Occonum* quoque familia obtinuisse, aui, parentis, nepotis, immo pronepotum, exempla satis commonstrant. (a) Post *Ad. Occonem* enim *primum* et *secundum*, quorum βιογρα-

per Lucae Stengelii mentionem faciat cum Adolpho, qui tamen eo tempore, quo Manardus viuebat, nondum ephebus factus erat. Vnde recte monitum, aliud esse illud Occonis parentis cum reliquis collegis de peste consilium, alias Occonis filii cum Lucae Stengelio collegae propositiones de peste, inter se non confundenda. Ceterum agitur in hoc libello I. de natura et causa pestis, II. quomodo remediis ab ea cauendum III. quomodo isto morbo infecti tractandi curandique.

(u) de quibus cap. seq. dicemus, conf. interim GESNER *Epist. l. II. fol. 62.*

(x) Testis est GESNERVS vti variis ad Occonem III. datis literis, ita imprimis *l. c.* vbi inter alia: *Deum oro, vt, sicuti hactenus magno cum honore ob doctrinam et virtutes* τὰς τριγονικὰς *familia tua non patriae solum ornamento fuit, sed exteris etiam passim innotuit, ita posthac iisdem insignibus, quae certe in tuis literis semper elucescit eruditis, bonis ac piis hominibus et sibi imprimis probatam, eandem perpetuo conseruet.*

(y) *Protocoll. Coll. Med. Aug. Tom. I.* ab init. IAN. GRVTER. siue nomine fictitio IO. GVALTERIVS in *Chronico Chronicor. Eccles. polit. T. II. p. 1138.*

(a) Extollit hanc *Occonianae familiae* in re medica omnique eruditione diligentiam et laudes C. GESNERVS, in Epist. medicinal. passim, v. g.

γραφίαν praecedenti tractatione exposuimus, tertium quoque offendimus, vt rei medicae peritia, ita omnis eruditionis fama non paternarum tantum et auitarum laudum haeredem, sed et ipsius artis elegantia superiorem.

§. II.

Natus vero est Vir insignis, vereque sui temporis Polyhistor dicendus, Augustae, cui tanto postea ornamento fuit, Vindelicorum, anno MDXXIV. (b) parente, cuius fata supra depin-

*p. 62. a* quem locum Cap. praec. adduximus, et *pag. 55. b.* vocat Occonem nostrum ὁμονύμου πατρὸς καὶ πάππου ἰατρῶν υἱὸν καὶ ἔκγονον. *Patris auique Medicorum filium cognominem, prolemque celeberrimam.* Et HIER. WOLFIVS post *Praef. ad Plethonis libellum de virtutibus*, ita Interpretem Occonem alloquitur:

Χαῖρε Μαχαονίηντε καὶ ἄλλας πάνσοφε τέχνας
Οἰκιῶν τοῦ πάππου καὶ Πατρὸς οὔνομ' ἔχων.
Οὔνομα καὶ τέχνην τριτάτης γενεᾶς ἀποσώζων
Παιονίην, τοῖς σοῖς παισίτε λειψόμενος etc.

(b) Testantur hoc Tabulae Genealogicae gentis Occonianae ad quas supra prouocauimus, ipseque Occo noster, qui aliquot libris a se editis et nomen et aetatem adscripsit, cuius exemplum praesens intuemur. Ad calcem enim Numismatum, de quibus postea ex instituto dicemus, versibus quibusdam typis impressis, quibus placidus optatur obitus, haec adscripsit Vir vt doctissimus, sic pientissimus: *O fallaces hominum spes, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones, quae in medio spatio saepe franguntur, et corruunt, et aut in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.*

*Cuncta accepta Deo quantumuis dura, referto,*
*Cuius vita hominum nutu, vt scis, statque caditque,*
*Nec pietatis opus diuina inquirere facta est,*
*Illius ad normam velle et componite nolle.*

*Adolphus Occo Med.*
*Anno Christi MDLXXIX.*
*Aetatis LV. nondum exacto.*

*Is qui Christum amat vnice, colitque,*
*Huic est vita mori, morique vita*
*Est solui volupe est, Deoque necti.*

Conueniunt parentis anni, quibus Augustae habitauit, et matrimonium contraxit, de quibus supra, et consentiunt quoque tum ratione patriae, tum ratione natiuitatis anni, IOS. SIMLERVS in *Biblioth. p. 7.* MELCHIOR ADAMI in *Vitis Medic. p. m. 176.* HENN. WITTE. in *Dia-*

depinximus, *Adolpho Occone*, secundo, matre *Helena Weisia*, qui hoc matrimonii feliciter initi primum acceperunt pignus die XVII. Octobris. Quemadmodum vero beneuolam in eo Noster Numinis prouidentiam habuit, quod tam egregio parente, eoque per tantum temporis spacium, (c) vteretur, quo ad optimarum artium studia felicissime ducebatur; ita eiusmodi a natura donis instructus, tantis ingenii diuitiis auctus, tantis artis praesidiis munitus fuit, vt felicissimos in omni eruditionis genere progressus faceret, et ad propositam sibi metam curreret impigerrimus, mature praemia ista contentione digna consecutus. Ferrariae enim summis in Philosophia et Medicina honoribus auctus est, Anno MDXLIX. Septembris die decimo sexto (d) eodemque anno in patriam reuersus, parentis optimi ductu medicinam tanta felicitate fecit, vt eo adhuc superstite, anno MDLXIV. die sexto Maii, officinis pharmaceuticis constituendis et emendandis, empiricis quoque, obstetricibus, agyrtis et huius generis hominibus examinandis praeficere-



rio *Biograph. ad 30. Decembr. 1605.* MARTIN HANCKIVS *de Roman. Rer. Scriptor. P. I. c. 78. p. 262.* PAVL. FREHERVS in *theatro p. 1318.* et HOFMANNVS in *Lexico Vniu.* Miramur itaque non tam KOENIGII (cuius ἀβλεψία satis nota est) in Bibliotheca, quam HENRICI LVDOLFI BENTHEMII, Viri cetera doctissimi παρόραμα, qui in egregio libro, *Hollaend. Kirchen-und Schulen-Staat*, dicto *P. II. c. 4. p. 290.* satis confidenter asserit Adolphum Nostrum in Frisia natum anno 1524. numismatographiae operam posuisse. Miramur, in *Lexico Vniuersali historico* rem in medio, tanquam dubiam fuisse relictam. Cuius erroris vix alia causa est, quam quod tres Occones inter se non distinxerint, immo nostri parentem plane ignorauerint, Nostrum Occonis I, Fris., filium fuisse rati: in quo tamen multiplex occurrit peccatum; nam Occo I. matrimonium plane non iniit, nec in patria Frisia habitauit et obiit, sed Augustae, et diu vitae finem fecit, antequam noster nasceretur anno sc. 1503.

(c) Per dimidium scilicet seculum, ad annum 1572. quo pater ad beatorum migrauit sedes.

(d) *Matricul. Coll. Medici August. p. 78. Protocoll. Colleg. Medici August, Tom. I. ab init.*

ficeretur, (e) ſtipendio ducentorum florenorum annuo ex aerario a Senatu munificentiſſimo auctus. (f) Immo cum Anno MDLXXXII. doctiſſimi imprimis medici, Lucae Stengelini cura, Collegium Medicum erigeretur, Noſtri tanta fuit auctoritas, vt primus Decano eiusdem Collegii Vicarius perpetuus adiungeretur, (g) cui officio ea quoque dexteritate praefuit, vt Reipublicae proceribus ſemper eximie probaretur. (h)

§. III.

Non expectari quoque non poterat diligentiſſima muneris commiſſarumque partium executio ab eo, in quo excellentiſſimam virtutum optimarum meſſem obſeruaueris. Inter quas ita excelluit deuotiſſima Deo pietas, (i) tota ſe, quantuscunque eſſet, diuinae voluntati tradens, et inter aduerſitates plurimas patientiſſimo et obſequentiſſimo animo tranquille ſe ei permittens, vt adamantis inſtar inter reliquas, quibus Occo ſplendebat, dotes emineat, ante omnes laudanda. Haec cum reliquarum

(e) *Matric. l. c.* et *Protocoll. Coll. Med. l. c.* Gratulatur Occoni nouum hoc munus C. GESNERVS in *Ep. Tigur. Iunii die 19. An. 1564.* data, his verbis: *Ab ampliſſimo Senatu veſtro conductum te eſſe, vt pharmacopoliis inſtituendis ac cenſendis praeſis, gaudeo et gratulor tibi.*

(f) laudata *Matric.* Ceterum hac occaſione Pharmacopoeam Noſtrum concinnaſſe, infra pluribus dicemus.

(g) Vid. Viri Illuſtris, LVCAE SCHROECKII, noſtratis, *Hygea Auguſtana.*

(h) Quod luculenter ex Dedicationibus, primis Pharmacopoeae Auguſtanae editionibus praemiſſis poteſt colligi.

(i) Non poſſumus non eximia quaedam pietatis Occonianae ſpecimina adducere, tum vt, qualis Noſter fuerit, eo melius hinc intelligatur, tum vt hoc quoque exemplo conſtet, quam bene vt arte ſalutari, ſecus ac quidam putant, ita elegantioribus literis cum pietate conueniat, quamque non egregium tantum viri docti ornamentum ſit, ſed omnes reliquas dotes perficiat quoque, immo ſola gratas faciat et aeſtimandas. Inter plura vero, quae paſſim occurrunt, ſingulare prorſus in *epiſtola ad C. Geſnerum,* quae *Epp. Medicin. p. 58. b. ſeq.* extat, videre eſt, quod hic exſcribere, et hac quoque ratione pietatis ſcintillam in Lectoris, imprimis elegantiſſimae huic arti deditі, animo accendere, non pigebit:

quarum radix fuerit, mirum non eſt, erga bonos quosuis candidum amorem, erga amicos fidelitatem et inſeruiendi promti-



Ita vero Vir, vt vere pius, ita ἀττικώτατος. Πεποιθότος μέντοι περὶ τῆς αἰωνίας ζωῆς οὐ μετὰ πολὺ ἐμοὶ γενησομένης, διὰ τὸν Μεσίτην ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν τὰ ἡμέτερα ἁμαρτήματα βαστάζοντα, καὶ διδόντα εἰρήνην τῷ τε σώματι ἡμῶν καὶ τῇ ψυχῇ, καὶ τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος, αὐτοῦ εἰς αἰῶνα τῶν αἰώνων· οὐδὲν ἐν ἄλλο παρὰ Θεοῦ αἰτοῦμαι τοῦ παντοκράτορος, ἢ πρῶτον μὲν τὴν ἐν Χριστῷ εὐθανασίαν, ἔπειτα δὲ τήν τε ἀθανασίαν καὶ κληρονομίαν τοῦ αἰῶνος καὶ τὸν ἀνεξιχνίαστον πλοῦτον τοῦ Χριστοῦ. *De vita aeterna perſuaſiſſimus cum ſim, cuius breui particeps ſum futurus, propter Mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, qui peccata noſtra portauit, pacemque vti corpori ita animae quoque reddidit, et propter abundantiſſimas gratiae eius in omnem aeternitatem diuitias; Nihil itaque aliud a Deo peto ter optimo maximo, quam beatum in Chriſto obitum, et deinde immortalitatem atque haereditatem, et inperſcrutabiles Chriſti theſauros.* Sed et reliqua legenda ſunt, vna cum iis, quae Geſnerus non minus pie ad Noſtrum ſcripſerat, apta, quae parem animi affectum ingenerent. Eandem deuotionem animi, et qui inde oriebatur, ſummus philoſophiae, immo ſapientiae omnis, apex, ſtudium beate moriendi, in quod noſter, imbecilla, vt infra monebimus, corporis valetudine commotus mature, et plura ante beatum obitum luſtra diligentiſſime incubuit, multis aliis locis expoſuit, planumque fecit. Vt enim, qui in fine *Antwerpienſis editionis Numiſmatum Imperatoriorum* effigiei et inſignibus Noſtri additi ſunt, verſiculos elegantiſſimos taceam, en quos ipſe manu ſuo exemplari, quod Bibliotheca Auguſtana ſeruat, adſcripſit, dignos, qui hic legantur et relegantur:

λάθε βιώσας

*Sat vixi, patriae mundique pericla ſubiui;*
*Quod ſupereſt cupio viuere, Chriſte, tibi.*
*Vita mihi Chriſtus mors erit ipſa lucrum.*

* * *

*Ire velis, nolis, fueris quocunque locorum*
*Vt vocat hora fere mortis oportet, homo.*
*Iuerunt alii, nos ibimus, ibitis, ibunt,*
*Vltima dum ſummum prouocat hora diem.*

* * *

*Mali viuunt, boni moriuntur.*
*Mortem optare malum, timere peius.*
*Sic eſt contemnenda mors, vt nihilo ſecius curam habeamus incolumitatis, non enim eſt fortitudinis ſed amentiae, ſemet temere in periculi diſ-*

tudinem, in exequendo munere ſedulitatem, et quae reliqua ſunt boni Viri munia ſegetem in Occone oſtendiſſe longe vberrimam, cuius non ſine iucunditate in Geſnerianarum epiſtolarum

*crimen iniicere; ſed quoties aut ineuitabilis neceſſitas cogit, aut grauis honeſtaque ratio ſuadet, mortem contemnere fortis animi eſt* etc.

*Tu pie fide Deo, gemituſque imitate bonorum*
*Et ſpira in miſeris et pete rebus opem.*

μία φυλακὴ εὐσέβεια, εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπους οὐ Δαίμων κακὸς, οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ. Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ· τὸ γὰρ ἓν καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἐστὶν ἀγαθὸν ἡ εὐσέβεια.

*Hanc ego, dum viuam ceſſabo quaerere nunquam;*
*Mors animi ſtudium finiet vna mei.*

*Adolphus Occo Anno Chriſti*
*MDLXXIX. aetat LV.*

*
* *

*Reſtat adhuc modicum viuendi tempus: id ipſum*
*Qui bene conſumit, ſolus in Orbe ſapit.*
*Eripit aerumnis pia mors et pandit olympum.*
*Chriſte tibi viuam, Chriſte tibi moriar.*
*Et bene qui viuit, raro cadit ille ſiniſtro*
*Funere, turpis homo turpia fata ſubit.*
*Et nunc illa dies defeſſi terminus aeui*
*Ingruit extremumque mali labor vltimus vrget,*
*Inſtat terminus et diem*
*Vicinum ſenio iam Deus applicat.*

*
* *

*Ampliat aetatis ſpacium, ſibi Vir bonus, hoc eſt*
*Viuere bis, vita poſſe priore frui.*

*
* *

*Bene inſtituti et prudentis Viri officium eſt, generoſe ac fortiter ſeruare modum in rebus cum ſecundis tum aduerſis.*

*
* *

*Demus operam, vt ex hac miſera turba et colluuione hominum in illam coeleſtem beatorum domum atque aeternum animorum concilium coetumque proficiſcamur vt aeuo ſempiterno cum Deo atque ſanctis Angelis coeteriſque beatis perfruamur.* Haec Occo pientiſſime, et vt Chriſti decet alumnum. Eandem vero pietatis, integritatis, ardoris precum, virtutum, honeſtatis atque ſtudii beate moriendi animum aliis ingenerare

rum medicinalium volumine (k) haud vnum ſpecimen videas. Accidit quidem Anno MDLXXXVIII. vt turbis Auguſtae propter Gregoriani Calendarii introductionem et ius vocandi Eccleſiae miniſtros obortis, quae ſatis Eccleſiam ciuitatemque Auguſtanam afflixerunt, officiis muneribusque, vt multi alii, qui Senatui tunc morem gerere ſe poſſe per conſcientiam negabant, moueretur, et ſtipendium publice dandum amplius negaretur, in eo tamen vbi peccatum ab eo fuit, ſoli in Eccleſiam Euan-

ſtuduit, quod pluribus teſtatur. Graeca GESNERI ad noſtrum epiſtola, *Epiſt. Medic. l. II. pag. 56. ſeq.* quem quoque in finem Platonis et Plethonis *de virtute* libellos in latinum ſermonem in adoleſcentum gratiam tranſtulit, de quo pluribus pia non minus Anonymi praefatio, quam *Hier. Wolfii* eſſe, infra dicemus, videnda. Quae cum ita ſint, in fumos abit maledicentiſſimi oris Ieſuitae, *Iacobi Gretſeri* calumnia, Occoni Spiritu Lutherano infecto mentionem crucis et venerationem (crucifixi) parum gratam parum iucundam fuiſſe; cum crucifixi deſiderio vnice delectatus Noſter fuerit.

(k) Totus *ſecundus liber Epiſtolarum Medicinalium* Conradi Geſneri epiſtolis ad Occonem noſtrum datis conſtat. In iis rem medicam tangentia ſunt pleraque, et vel ſimplicium quorundam naturam, ſtirpiumque et plantarum diuerſitates, figuram, nomen, qualitatem, et eius generis alia, quae accuratius noſſe Geſneri, earundem hiſtoriam meditantis, intererat, explicant, vel compoſita quoque quaedam et arcana enarrant, et ſingulares medici incomparabilis obſeruationes referunt, ſic vt operae pretium facturus ſit, qui attentius eas perquirere, et quae inde rei medicae profutura ſunt, deſcribere, et cum noſtrae aetatis inuentis conferre voluerit. Multa tamen alia quoque ibi reperias: inſeruit enim et ipſe, et per amicos, Noſtro in ſtudio numiſmatum veterum, vid. *pag. 49. 50. 51. 60. 62. 63. 64. 68. 71.* et de libris veteribus et nouis paſſim dicitur, vid. *p. 62. 63. 70.* Imprimis autem virtutum Occonianarum praecones ſunt fideliſſimi. Noſtri enim tanto amore capiebatur Geſnerus, tanta amici officia, humanitatem, inſeruiendi ſtudium ab eo acceperat, vt eum vocet: *animae dimidium ſuae p. 66.* ἄνδρα ἄριστον καὶ φίλτατον *p. 48. b. nimis officioſum p. 62. a.* et *inter amicos primum ei locum* tribueret, ſcripta ſua eius iudicio ſubmitteret vid. *p. 73.* omnibusque modis bene de Occone merendi ſtudium proderet. Paſſim hic vero occurrunt, quae Occonis virtutes delineant; quare Occonis literas ΕΥΣΕΒΕΙΣ vocat Geſnerus f. 56. Cuius tanta quoque amicitia tenebatur Occo, vt eandem cum Geſnero

Euangelicam amori, cuius libertati insidias strui suspicacius cum plerisque aliis crediderat id imputandum, eumque bona fide errasse credendum est. (l)

§. IV.

Quemadmodum vero virtutibus eminebat Occo, ita quoque corpore quidem exiguus, (m) eruditione erat magnus, quae eo rarior in Nostro caput extulit, quo rarius tum exemplum erat, non intra artis suae limites contineri, vel ad solitas tantum disciplinas exspatiari, sed ignotum prius pluribus tentare iter, et humanissimis scientiis totum se tradere: id quod de

sententiam ingrederetur, Reformatos ab Augustanae confessioni addictis fundamentali non differre dissensu, vt ex vtriusque epistola Graeca *pag. 56. seq.* videre licet. Male vero ad OCCONEM II. has epistolas referunt nonnulli: nam, vt alia taceam, patris Occonis saepissime circa annos 1564. 1565. fit mentio adhuc viui; obiit vero OCCONIS II. pater anno 1503. alius ergo esse non poterit praeter Nostrum, cuius tunc temporis pater OCCO II. adhuc supererat.

(l) Nec locus, nec instituti ratio patitur, de istis turbis, quales vix Augusta vidit, quaeque periculosis eminuere tumultibus, nec caedibus quoque caruerunt, dicere, praecipue, cum tantus scriptorum domesticorum de istis turbis differentium dissensus sit, plerisque scilicet in partium fauorem tractis, vt difficultatibus maximis ista historiae Augustanae pars laboret. Potiora comprehendit GEORGIVS MYLIVS, tunc Superintendens et Pastor Annaeanus Augustae, ob non receptum in Ecclesias nouum Calendarium munere et vrbe motus in *peculiari relatione*, cui aliam Magistratus nomine opposuit, qui tum Reipublicae praefuit Duumuir REHLINGERVS: qui duo libelli sedulo inter se conferendi sunt. Nos eo magis ab hoc vlcere tangendo abstinemus, quo magis vix Imperatoris Rudolphi II. auctoritate sanari id tandem potuit. conf. tamen *Histor. Regiminis August. l. III. c. 4. p. 164. seqq.*

(m) Ita encomiastes eius in versibus imagini Occonis suffixis apud DOMINIC. CVSTODEM, in effigiebus clariss. Vir.

*Aemula auum atque patrem virtus superare nepotis*
*Clarius e scriptis nomen vtrique dedit,*
*Et varias vitae fragilis sortesque, vicesque,*
*Magnus in exiguo corpore, mente tulit.*

Succurrit hic memoriae, Medicus et Polyhistor posterioris aetatis cum Nostro omnino comparandus, HERMANNVS CONRINGIVS,

de Occone iure ſuo dicendum exiſtimamus, qui non ſolum in omni eruditionis genere talem ſe praeſtitit, vt omnium laudes mereretur, (n) ſed et elegantiſſimo antiquitatis ex nummis et marmoribus illuſtrandae ſtudio ſe mancipauit, nullisque ſumtibus pepercit, vt ei lucem accenderet, quod vt ante eum fecere pauci, ita temporum iſtorum conditionem fere ſuperauit. Ceterum graecae imprimis linguae cognitionem, et facilitatem in ſcribendo quoque ad Atticam venuſtatem aſſurgentem, non laudauit tantum ex merito GESNERVS, (o) ſed elegantiſſima quoque epiſtola, ſatis ſuperque teſtatur. (p) Quemadmodum et facilem eius in fundendis verſiculis venam multa exempla paſſim obuia comprobant.

§. V.

Quantus vero Vir fuerit OCCO, et quanto honore dignus fuerit iudicatus duplex idque illuſtre monumentum ſupereſt. Nam inſignia nobilia, et Nobilitatis ius Noſtro eiusque Nepotibus clementiſſime confirmauit, et auxit Maximilianus II. lucu-

qui magnus quoque in exiguo corpore mente fuit, quem cum corporis exigui ſtatura impudentiſſime traduceret maledicentiſſimus Ieſuita *Vitus Ebermannus*, egregie ei reſpondit in *praef. examinis libelli Viti Ebermanni.* Ceterum *de eruditis ſtatura paruis, ſed capacitate magnis* diſſertationem edidit QVADIVS.

(n) Inter laudatores Occonis primas tenet Geſnerus, cuius epiſtolae vt encomiis eruditionis Occonianae plenae ſunt, ita eo magis attendi merentur, quo lectiorem fuiſſe Geſneri eruditionem conſtat. Vocat v. g. eum, *pag. 49. a. doctrina, iudicio, et eloquentia valentem*, pag 50. ait, *habere illum artem ſalutarem ceu haereditariam, doctrina, ingenio, iudicio, eloquentia pollere*, et quae multa ſunt alia. Hieronymi Wolfii, Nicolai Reuſneri, Nicodemi Friſchlini, Ioannis Viuiani, aliorumque de Noſtro elogia partim libris ab eo editis praefixa ſunt, partim de iis infra, vbi de ſcriptis Occonis ex inſtituto diſſeremus, dicendi erit locus.

(o) Ita p.51. ait: Ἡ Ἀττικὴ σοῦ Καλλιώπεια οὐ μετρίως με τρέπει, quae repetit *p.56. b. p. 49. a.*

(p) Quae inter Geſnerianas extat *L. II. pag. 58. ſeq.*

luculentiſſimo, quo loco virtus et eruditio Occoniana, aquilae inſtar ad coeruleas arces ſurgens, (quod inſignium ſymbolum fuit) habenda ſit, comprobans teſtimonio (q) et argenteis quoque numis duobus elegantiſſimis imago eius honorata, (r) et memoriae eius more veterum (s) poſteris tradita eſt, quemadmo-

(q) Quod venuſta elegia cecinit *Ioannes Poſthius*, apud MELCH. ADAMI in *vit. Medic. p. m. 177.* quam cum dicta mirifice illuſtret, hic afferri L. B. non indignabitur. Ita vero ad Noſtrum Poëta:

*Hunc tua promeruit virtus inſignis honorem,*
*Quem Tibi, quemque Tuis Caeſar, Adolphe, dedit.*
*Caeruleo in clypeo magni Iouis armiger alis*
*Aureus expanſis ad ſupera alta volat*
*Aureaque Eois decorata corona lapillis,*
*In ſummo galeae vertice clara micat.*
*Non magis apta dari poterant inſignia vobis;*
*Conueniunt generi talia dona tuo.*
*Regia ſicut auis nitidi templa aurea coeli,*
*Sublimi virtus ſic petit aſtra via.*
*Denique ceu fuluo nihil eſt pretioſius auro,*
*Nil oculi gemmis pulchrius aſpiciunt;*
*Sic virtute nihil precioſius et mage pulcrum:*
*Quae veſtrum decorat non moritura genus.*

Habent vero inſignia in galea aurea corona decorata, virum quoque, laurea redimitum, et appoſitum lemma: *Virtutes praemiis decorantur.* Immo adſcriptum quoque iis in ligno expreſſis: *Maximiliani II. Imp. P. F. A. Munus.* Datum vero eſt Diploma Caeſar. *d. 24. Nov. 1573.* teſtibus *Tabb. Geneal. Occon.*

(r) Cuius vtriusque exemplum elegans in argento ſeruat Auguſtae illuſtre Muſarum Auguſtanarum praeſidium et decus, Generoſiſſimus SVLZERVS. Pendet vero alter maior vnciam, minor, vltra quadrantem ſiue drachmam ad vnciam dimidiam aſſurgit. Vtriusque ectypon accuratiſſime deſcriptum ex Viri Generoſiſſimi beneuolentia cum L. B. hic communicamus. Vterque non priuata induſtria ſed publico Occonis honori deſtinatus, cuſusque videtur. Praeprimis vero admodum ſimile mihi videtur, alterum minorem vna cum nobilitatis inſignibus et priuilegio ab Auguſtiſſima manu fuiſſe profectum. Certe inſcriptio cum inſignibus nouis accurate conueniens id luculenter perſuadet.

(s) Vide, quae de hoc more diximus in *otio Vindel. p. 203. ſeq.*

admodum eius quoque imaginem et ligno et aere ter impressam vidimus. (t)

§. VI.

Felix vero coniugii quoque foecunditate fuit OCCO; (u) duplex scilicet inierat. Primum quidem Anno MDLIV. die 20. Augusti cum *Anna Maria Dettighoferia*, alterum Anno MDLXXVII. d. 18. Nou. cum *Regina Geyershofia*, honestissimis familiis natis; quem binum torum foecundissimum quoque et prolis numero superbum habuit. (x) Genuit enim ex prima vxore filios quinque, totidemque filias; ex altera filiorum quatuor, filiaeque vnius parens factus est: quae charissimi matrimonii pignora ita educauit, vt duo imprimis filii (y) non paternarum tantum virtutum, sed et eruditionis et dignitatis haeredes fierent, vti dignissimi, ita clarissimi.

 §. VII.

(t) Quam et huic diatribae praefiximus. Inuenies eam quoque in DOMINICI CVSTODIS *effigiebus Viror. eruditione clarorum.*

(u) Vid. *Tabulae Genealogiae Occonianae*, quas supra laudauimus.

(x) De qua numerosissima familia ipse in Epistola quadam Anno 1587. ad Ioannem Posthium:

*Exigo nunc hilares natis cum dulcibus horas,*
*Et mihi foecundum glorior esse thorum.*

Vid. ADAMI, *l. c.*

(y) Tertius enim filius, *Dauid Occo*, natus d. 13. Octobr. anno 1567. Basileae summa Doctoris Medicinae iura, priuilegia et honores nactus est d. 24. Aug. anno 1587 mox d. 10. Sept. inter Medicos Augustanos receptus, qui vero ante parentem mortalitatis exuuias Viennae Pannoniorum d. 11. Iunii Anno 1595. deposuit, teste *Matric. Collegii Medic. August. p. 100.* Alter itidem, *Adolphus Occo*, ex secundo thoro d. 24. Sept. anno 1578. natus in Basileensium quoque Schola d. 23 Octobr. anno 1600. Doctoris in arte medica accepit titulum, et d. 16. Decembris albo Medicorum Augustanorum adscriptus Decani dignitate bis functus est, Nosocomeo simul publico et Pharmacopoleis examinandis publice praefectus, qui vero vix quinquagenarius ex lue epidemia in patria grassante, *testibus tabulis genealogicis* gentis huius, obiit, vid. *Matricul. Colleg. Med. Augustan. p. 128. seq.*

## §. VII.

Sed vt OCCONEM noſtrum penitius cognoſcamus, ſcripta eius enumeranda ſunt, fuſiusque paulo deſcribenda, cum per ea nomen non tantum Occo latiſſime extulerit, ſed et rei literariae vniuerſae lucem accenderit egregiam. Primus vero ingenii foetus eſt, loci cuiusdam elegantiſſimi ex *Platonis Theaeteto* interpretatio Latina, quo Vir ſapiens graphice deſcribitur. (z) Cum enim verae ſapientiae et pietatis eſſet ſtudioſiſſimus, vti ſupra monuimus, eius amorem in adoleſcentum potiſſimum animis accendere ſategit, propoſitis libellis veterum Graecorum elegantiſſimis, vt cum lingua Graeca in virtute ſimul erudientur. Eundem etiam in finem II. *Georgii Gemiſti Plethonis libellum de quatuor virtutibus* Romana veſte induit, qui cum priore aliisque ad hoc argumentum ſpectantibus libellis *Baſileae* tribus vicibus prodiit. (a) Ad plures vero abeunte ami-

(z) Incipit: λόγος δὲ ἡμᾶς ὦ Θεόδωρε ἐκ λόγε μείζων ἐξ ἐλάττονος καταλαμβάνει, extatque in Ficiniana *Platonis* Operum editione, quae *Francof. 1602. fol.* prodiit *pag. 126.* in Serrani vero, quam *Henricus Stephanus* nobis elegantiſſime dedit *T. I. p. 172. ſeq.* Gallice eum exhibuit CLAVD. FLEVRY in tr. *de ſelectu et method. ſtudior. p. 341.* conf. cel. IO. ALB. FABRICIVS *Biblioth. Gr. Vol. II. p. 11.*

(a) Libellus, qui hos tractatus continet, hunc titulum habet praefixum: *Doctrina recte viuendi ac moriendi ad mores pie ac honeſte conformandos etiam adultis ad linguae vtriuſque exercitia iuuenibus potiſſimum conducens. Baſileae, Impenſa Petri Pernae. 1577. 8.* Sunt vero auctores iſti: 1. *Platonis Theaetetus*, (ſiue locus potius ex eo) Graece, cum *Adolphi Occonis* interpretatione: 2. *Ariſtoteles de virtutibus*, Graece et Latine, interprete *Iuſto Velſio*: 3. *Georgius Gemiſtus Pletho*, Graece, *Adolpho Occone* interprete, cum *Anonymi annotationibus*. 4. *Nemeſius de Voluptate*, Graeca cum *Nicaſii Ellebodii* verſione. 5. *Simonis Grynaei virtutum diuiſio exactior.* 6. *Platonis Axiochus*, Graece cum latina verſione et annotationibus *Anonymi.* 7. *Demetrii Cydonii* ſiue *Nemeſii Emeſeni epiſcopi de contemtu mortis* Graece et latine, ex conuerſione *Raphaelis Saileri*, cum Scholiis *Anonymi.* Vid. LEO. ALLATIVS de *Georgiis eorumque ſcriptis p. 385.* ed. Par. Virque ſummus IO. ALB. FABRIC. *Bibl. Graecae. Vol. X. l. V. c. 43. §. 5. p. 387.* et addictum

amicisque extremum dicente vale *Conrado Gesnero*, quo amiciore, vti supra diximus, viro Occo vsus non erat, tantam, quam non ipse solum, sed omnis quoque cum re medica eruditio fecerat iacturam, III. eleganti *Carmine* descripsit, piisque manibus amici parentauit. (b)

 §. VIII.

Allatii librum *l. c. p.* 742. Primum esse Latine editum hunc Plethonis libellum ab Occone, *Basileae. 1552 8. apud Oporinum*, auctor est ALLATIVS *l. c.* et HENR. WARTHON. in *Append. ad Guil. Caue Hist. Liter. Scr. Eul. p. 95.* et ex *Wolfii* praefatione 1575. scripta innotescit, qui ante duos et viginti annos Occonem hunc libellum edidisse innuit, prelo vero iterum subiectum, *1586. 8.* laudatus FABRICIVS *l. c.* et WARTHON. *l. c. p. 38.* indicant. Ceterum Annotationum, immo totius editionis autorem HIERON. WOLFIVM esse, non citati modo auctores et B. ANTON. REISERVS noster in *Catal. msc. Bibl. Aug.* notant, sed ipse haud obscure prodidit. Etsi enim in aduersa tituli pagina dicitur:

*Cur tacuit nomen, dices? quod publica curans*
*Commoda nil priuae praemia laudis amet.*

Addidit tamen mox Graece et Latine amicus Wolfii:

*Quisnam iter hoc monstrat vitae mortisque beatae?*
*Non lupus, at forti notus ab vngue leo.*

Occoni vero nostro de editione huius libelli gratias agit, tum in docta et pia praefatione, tum in commendatione libelli his versibus comprehensa:

*Suspensis nihil est hederis opus, ipse Lyaeus*
*Cum probat officii dona beata sui.*
*Sic bonitate sua quae sese scripta tuentur,*
*Scilicet externo teste carere queunt.*
*Quorum de numero cum sit liber iste Gemisti,*
*Ipse suo fretus robore laetus abit.*
*Carcere perrupto, quo longo tempore clausus*
*Delituit, coelo liberiore fruens.*
*Nec Graiis modo sed Latio quoque cognitus, ambit*
*Non nisi quos breuitas ingeniosa iuuat*
*Et grates agit Occoni, de munere cuius*
*Viuit in Ausonia conspiciturque toga.*

(b) Debemus huius carminis notitiam SIMLERO, qui eius in *Biblioth. pag.* 7. et ADAMI, qui *l. c.* mentionem facit, ipsum enim videre hactenus non contigit. Obiit vero Gesnerus, anno 1565. nondum quin-

§. VIII.

Inter Medica Occonis Scripta referunt, IV. PASCHALIS GALLVS, (c) IO. GEORG. SCHENCKIVS (d) et MELCHIOR ADAMI (e) Conclusiones triginta et vnam ad quaestionem, num lues, quae pestis dicitur, necessario habeat adiunctam febrim pestilentem vel hecticam, ita vt vel contenta cordis vel ipsius substantia putreat necessario. Quarum tamen impressionis neque locum neque annum indicare possumus, quippe quas adhibita licet omni industria videre nobis non licuit. (f)

§. IX.

quagenarius, qui ex prauo et cachetico corporis habitu maturam ipse sibi mortem praesagiuit. Ita enim in Epistola Graeca ad Occonem nostrum, vix annum ante eius obitum exarata, inter alia: ἐγὼ μετ' οὐ πολύγε ἀκολουθήσω, ὁ πολιὸς ἤδη πρὸ πολλοῦ καὶ ἐκ νέας σχεδὸν ὠχρίας ἰσχνὸς τε τὴν ἕξιν καὶ καχεκτικὸς ἀεί. *Ego breui sequar, canus quam dudum, et a iuuene fere pallidus habitusque gracili et cachetico. Epistol. Medicinal. L. II. p. 56. a.* Scripserat scilicet de asthmate suffocationem subinde sibi minante Occo ad Gesnerum, quem morbum grauiter dolet, et se breui secuturum ait, licet Noster quadraginta annis ei superuixit, vt in fine dicemus. Ceterum carmine quoque eum mortuum laudasse elegantissimo *Theodorum Bezam*, refert AVG. THVANVS, ad ann. 1565. qui mortem eius omnibus seculis deplorandam, eumque virum longissima vita dignissimum merito pronunciat. Vitam in Bibliothec. ipse dedit, et amicus IOSIAS SIMLERVS, ADAMI, FREHERVS, TEISSIERIVS, et Germanice ANONYMVS *Lips.* 1711. 8. omnibus vero luculentiorem et prolixiorem daturus fuisset, elegantissimae eruditionis Medicus, IO. IAC. SCHEVCHZERVS, nisi schedae iam consarcinatae et transmissae, periissent, vt amicus nos Tigurinus docuit. Tantae pietatis fuit, vt Ferdinando I. haec verba erga Cratonem expresserit: *Credas, Gesnerus tota est probitas.* vid. vit. cit. p. 51. conf. TH. POPE BLOVNT. *Cens. cel. auct. p. 661.*

(c) In *Bibl. Medic. p. 5.*

(d) In *Bibl. Med. p. 4.*

(e) In *Vitis Med. p. m. 117.*

(f) Ex Epistolarum Medicinalium CONR. GESNERI variis locis patet, Nostrum cum LVCA STENGELIO celebratissimae famae apud Augustanos Medico, (qui Gesnero *ingeniosissimus et doctissimus*

### §. IX.

Praecipuus vero ingenii Occoniani foetus, quo inter artis salutaris cultores aeternum sibi nomen fecit, fuit *V. Pharmocopoeia Augustana*, quae eius curae atque industriae natales debet, ab eximiis et celeberrimis postea vrbis Augustanae medicis emendata multum et aucta. Cuius praestantissimi libri historiam hic fusius exponere, tum ipsius libri elegantia et vtilitas, tum vniuersalis fere, quo exceptus fuit applausus, nos inuitant. Occasionem vero Nostro ad eiusmodi Medicamentarium conficiendum exhibuit, cura inspiciendarum, examinandarum et augendarum, officinarum Augustae extantium, pharmaceuticarum, ipsi anno, vti supra innuimus, (g) MDLXIV. commissa. Cum enim antiquissimis Myrepsi, Valerii Cordi, Alzarauii, Nicol. Alexandrini, Montagnanae, Mesuae, Ang. Salae, multorumque aliorumque formulis, nec accuratis satis nec certis quoque et ad amussim praescriptis, vte-

Vir audit, *epp. p. 61. b.*) conscripsisse *Propositiones et Quaestiones Aphoristicas circa pestis causas, differentias et curationem*, quas Gesnero transmisere, vt typographum iis indagaret, vid. *pag. 37. 39. 40. 41.* quae loca sunt in epistolis ad *Achillem Pirminium Gasserum*. In *Epistola ad Nostrum pag. 47. b.* scribit: *Positiones vestras de peste libentissime legi, proque iis ad me missis gratias maximas vobis ago, nec habeo, quod in illis reprehendam, candide alioquin facturus*; In eadem epistola dubia quaedam contra eas mouet, et cupit, vt permittant a se in publicum exire, quia contineant plurima vtiliter et subtiliter dicta; *p. 53. b.* vult nomen adiici non Stengelii tantum sed Occonis quoque vt typographi libentius edant: eas tamen paulo ante mortem remisit *ad Gasserum vid. p.* 42. Hae vero Quaestiones, Propositionesque de Peste, num cum iis, quas auctores supra laudati nominant, conueniant, vel eaedem prorsus sint, vti quidem coniicimus, non habemus, quod pro certo affirmare audeamus. Nisi quod ea, quae supra in *Vita Adolphi II.* §. *6.* obseruauimus, factam nobis confirment coniecturam, quod illi de peste consilium, vna cum aliis Collegis conscriptum hi confuderint cum his propositionibus, vnde, quae apud Gesnerum de his dicta occurrunt, vix ab ea tractatione, quam illi indigitant, distinguenda esse, putamus.

(g) *§. III.*

vterentur pharmacopolae, indeque non posset non magna in pharmaceuticis rebus oriri confusio, muneris commissi memor excitari se passus est Occo, vt et illustri Senatui rei necessitatem exponeret, et eiusdem auctoritate munitus (h) ad exemplum *Valerii Cordi*, qui eiusmodi quid in republica quoque Augustana non sine laude iam instituerat, talem librum Medicamentarium conscriberet, et retentis, quae Vir ille praestantissimus salubria habuerat, resectis inutilibus, additis nouis et praestantioribus normam pharmacopolis praescriberet, ad quam in componendis medicinarum remediis rationes suas exigerent. In quo tamen negotio non collegarum tantum consensum, sed et mutuam operam aspernatus non est, (i) et clarissimorum Medicorum, qui in hoc eruditionis medicae genere desudarunt, Mesuae, Nic. Alexandrini, Myrepsi, Coudenbergii, Leonhardi Fuchsii, Conradi Gesneri, Annutii Foesii laboribus ita vsus est, vt praestantiora ex iis in vsus suos eligeret, cumque suis coniungeret. Ita conscripto libro vtilissimo, immo plane necessario amicis quoque medicis diiudicandum tradidit,

(h) Ait enim in Dedic. editionis 1580. 12. curatae: *Librum hunc Medicamentarium non sine prudenti consilio a Republica Augustana ordinatum et constitutum esse.* Et in *Dedic. editionis quintae*, quae *1597. fol.* prodiit, ita scribit: *Non velim quisquam alieni artificii temerarius aut inuidus existimator ita in animum inducat, quasi hunc ego aut popularis aurae cupiditati, aut captandae beneuolentiae, aut vtilitatis alicuius specie in publicum rursus protulerim. Totum enim illud, quidquid est, ad Reip. ornamentum et patriae vtilitatem Vestro quoque iussu confectum, et praelo subiectum est.*

(i) Docet nos haec, quae diximus, Ipse Occo, in *Dedic. editionis quartae, anno 1580. 8.* editae: vbi inter alia: *Quod ipsum in Republica illa Vestra inclyta nostra memoria Clariss. Valerium Cordum magna cum laude et nominis celebritate aliquando instituisse non me latet: cuius nos manibus pia quadam animi recordatione modo quasi parentamus, e cuius etiam Medicamentorum formulis plurimas huic nostro Medicamentario inseruimus, neque enim aequum est, bonos Viros suo defraudari honore, et dignum sane eos, per quos profecerimus, libere confiteri. Is itaque Cordus, cum relicto suo de medicamentorum conficiendorum, per-*

didit, quibus auctoris conatus laudantibus, (k) Patribus Patriae volentibus, tandem Anno M D L X I V. in dias luminis auras prodiit, ornatus hoc titulo: *Pharmacopoea seu Medicamentarium pro Republica Augustana, cui accessere simplicia omnia, officinis nostris vsitata, et annotationes in eadem et composita ab Adolpho Occone eiusdem Reipublicae Medico diligenter congesta.* Dici non potest, quanto applausu et miro quodam consensu orbis litterarius et Machaonicae potissimum artis periti librum hunc exceperint, ita vt necessum visum fuerit, deficientibus exemplis, saepissime eius editionem reiterare. Anno enim MDLXXVII. altera vice forma in folio dimidium ex longo complicata recognitus ab auctore, sumptibus *Georgii Willeri*, bibliopolae, cum priuilegio Caesareo editus, et mox altero anno forma duodecima repetita editio est, quam secuta anno MDLXXX. quarta itidem in 12. sumtibus eiusdem bibliopolae, reuidente et corrigente Nostro, qui annotationes in fine adiectas hic cuiuis Medicamini subiecit, eas tamen ita contraxit, vt contractius quidem exemplar hoc in publicum prodiret, nihil tamen in eo desiderari vel posset, vel deberet. (l) Cum vero Pharmacopoeae huius exem-

*miscendorum et apparandorum delectu et praeparandi ratione libello, quem dispensatorii nomine edidit, primam hanc sibi gloriam fecerit, multa inde nobis haurienda, et in vsum nostrum traducenda fuere, plurima per luxuriem adiecta resecanda, quaedam etiam immutanda, et ex ipsis auctoribus tanquam purissimis fontibus haurienda, et vero pro nostro instituto relinquenda. Hoc certe in negotio, quid ego adiuuantibus simul et mutuam operam praestantibus collegis meis medicis doctissimis hactenus praestiterim, aliorum esto iudicium.*

(k) Inter illos fuit etiam toties laudatus nobis Gesnerus, qui, vt ipse suos libros Augustanis Amicis, Occoni vtrique, Gassero, Iungio, Rauhwolfio, Stengelio, quibus tunc Medicis vtebatur vrbs celeberrima, transmisit diiudicandos, ita Occonis dispensatorium accipiens, de eo lecto 1565. die Ian. 7. rescribit: *In Medicamentorio vestro vix possum aliqua emendare, cum et pleraque bene habere mihi videantur, et rarissime in eo versari liceat.* Tum quaedam corrigit *Epp. Med. l. II. p. 60. b.*

(l) Quae ipsius in *Dedicatione* verba sunt.

exempla deficerent iterum ac desiderarentur, ea vero viris doctis hucusque fuisset probata, quin etiam diuersis hinc inde locis magnopere petita, iussu et voluntate amplissimi et prudentissimi Senatus ab auctore quinta editio forma in folio dimidium ex oblongo complicata typis elegantissimis, chartaque mundissima curata est, in qua iussu et mandato Senatus ne transuersum vnguem a prioribus editionibus recessit. (m) Additum tantum in fine *Senatus Augustani decretum ad Medicos, pharmacopoeos, et alios pertinens*, quod 20. Ianuarii anno 1582. editum et hic ex Germanico in Latinum sermonem conuersum est, in quo medicis non solum concordia, eruditio Hippocratica, mutua opera et consultationes instituendae, prouidaque securitas; sed et tonsoribus officii limites, obsequium medicis praestandum, iurisiurandi obseruantia, coërcenda a medicorum et pharmacopoeorum messe falx: pharmacopoeis diligentia, obsequium erga medicos, accuratio, lucri fuga, et quae alia sunt, iniunguntur, Agyrtis et circumforaneis vero omni medendi potestate interdicitur, quaeque ad constituendam bene et conseruandam artem salutarem pertinent, prudentissime et saluberrime monentur.

§. X.

Hactenus manum admouerat incomparabili operi *Occo* noster. Illo vero fatis concedente, auctoque, quod in naturalibus scientiis plerumque solet experientia et industria, medicaminum numero, de noua editione prouidentissimus Augustanorum Senatus prospexit. Quae, vt non minus accurata, quam

(m) Ita ipse quoque in Dedicatione ad Sen. Aug. Ceterum cum in hac dedicatione Senatus Augustani in se singularem admodum beneuolentiam et humanitatem hucusque sibi praestitam laudet Occo, non absurde inde coniicimus, tempestatem illam, quae in caput eius detonuerat, eumque officio ad tempus priuauerat, breui iterum euanuisse, munerique suo illum fuisse restitutum.

quam elegans, et curatoris nomine commendatior prodiret, celeberrimae famae medico *Raymundo Minderero* id oneris imposuit. Qui, vt rei medicae erat longe experientissimus, et cernebat, successu temporis pharmaca multa eaque exoptatissimi vsus passim inualuisse, et apud nos quoque desiderari, quae Occonis aetate ignota fuerant, et post eius demum tempora intra et extra Germaniae limites famam comprobante experientia, optima rerum magistra, consecuta erant celebrem, quaedam quoque optimae virtutis a quibusdam celari, et arcana haberi, mira quadam industria indefessoque studio manum operi admouit; in certas Classes accuratius diuisit, modum componendi remedia aptiorem ostendit, artisque peritis multa aperuit, quae et artis facilitatem et vtilitatem optime promouerent. Et hac ratione Sexta quidem vice Pharmacopoea Augustana iussu et auctoritate Senatus Augustani, opera Collegii Medici Augustani, Anno M D C X I I I. in folio prodiit. Accessit idem, quod supra enarrauimus, Senatus decretum, anni MDCXIII. die III. Septembris iterum datum et in quibusdam mutatum, quod et sequutis editionibus suffixum est. Accessit vero et huic primum editioni Taxa, quam vocant, siue pretium Medicaminum, ne, et medicina a φυλαργύροις obtentu pretii vitetur, et pharmacopolae iustos excedant limites, pauperiores insuper vt sibi prospicere queant, et circumforaneis occasio praecidatur ciues pecunia emungendi. His praefixa sunt egregia *prolegomena*, quae doctissimi *Mindereri* experientiae et diligentiae debemus, in quibus de officio et requisitis Pharmacopoei, de Medicamentorum simplicium delectu, collectione, repositione atque adseruatione, cum simplicium, tum compositorum, duratione, de simplicibus absolute scriptis, de succedaneis quorundam Medicamentorum, de venenis eorumque antidotis; de ponderibus et mensuris medicis signisque Chemicis succincte, luculenter tamen et egregie, disquiritur.



Ean-

Eandem editionem repetiuere Augustani anno MDCXXII septima vice, in nihilo a priore diuersam, nisi quod *Mindereri* praefationi sublatum auctoris nomen, in ipsa tamen praefatione honorifice expressum, et additus in fine index specialis compositorum et simplicium, ad inuenienda quaelibet remediorum genera omnino necessarius. Secuta mox an. scilicet MDCXXIII. octaua editio, (n) in commodiorem, peregrinantium praecipue, vsum octopertita forma expressa, cetera nihil a praecedente distans; et anno MDCXL. in folio sumtibus publicis nona, (o) quam praefatione auxit *Ioannes Henisius*, in qua praeter alia frequens huius pharmacopoeae ab exteris proditum desiderium causa fuisse dicitur, cur editionem repeterent. (p) Accessit huic editioni mantissa medicamentorum Chemicorum, quemadmodum remedia minus vsualia, et obsoleta minutiori charactere fuerunt expressa. Repetita mox post triennium editio, quae decima est, forma octopertita commoditatis causa, a reliquis nihil prorsus diuersa, nisi quod in nostro, quo vsi sumus, exemplari Taxa medicamentorum non appareat, quae tamen in aliis adesse, hicque ob causas speciales omitti potuit. Idem de vndecima notandum quae MDCXLVI. in folio luci publicae exposita est, licet tam in titulo, quam in praefatione octaua, dicatur. (q)

§. XI.

(n) Non videmus enim rationem, cur haec editio in tituli facie dicatur septimum in lucem emissa. In ea enim, quae anno 1622. fol. praecessit, cum in titulo, tum in praefatione, expressis verbis ea septima dicitur, quemadmodum et praesentis praefatio his verbis exordium auspicatur: *Pharmacopoeiam Augustanam septenis excusam vicibus hac in forma prodire voluimus.* &c. His tamen non obstantibus, haec et praecedens editio non nisi pro vna habenda, si ratio numerandi in sequentibus adhibita seruanda esset.

(o) Quae tamen ex caussis modo dictis dicitur octaua.

(p) Imprimis ab vrbis Francofurtanae Collegio Medico Augustani moniti, nisi ipsi librum iterum ederent, se propter frequentissimum eius desiderium illum recusuros, teste *Protocollo Coll. Medic. Aug. T. I. p. 383.*

(q) Cuius quoque caussam non coniicere licet, nisi haec fuerit, quod illae

§. XI.

Feliciſſimis hactenus fatis vſum fuit Diſpenſatorium Auguſtanum, et inter reliquos huius generis libros

caput extulit omnes

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Expoſcebatur vbique, vnde tot editionum origo: laudabatur et in coelum euehebatur, non a vulgo Medicorum, ſed a primipilis atque artis ſalutaris Coryphaeis, (r) immo multis, fere dixerim plerisque, in locis Germaniae pharmacopolis cynoſura dabatur, ad quam in componendis medicaminibus curſum tenerent; quod imprimis de Ratisbona, Francofurto, Argentorato, Vlma, Dantiſco, Regiomonte, Berolino, Baſilea, Tiguro, multisque aliis celebrioribus Germaniae, immo etiam Europae, vrbibus ex teſtimoniis fide digniſſimis aſſerit, Vir ſupra noſtras

 laudes

tantum pro nouis editionibus habitae et numeratae fuerint, in quibus noua facta eſt acceſſio, vel emendatio.

(r) Tota hic elogiorum plauſtra congerere liceret, ſi id ageremus. Nobis duo ſufficiunt, non ſplendore tantum ſuo, ſed auctorum quoque celebritate aeſtimanda. Ita enim immortale Daniae decus, THOM. BARTHOLINVS, in *praef. Diſpenſatorii Hafnienſis*, anno 1651. editi: *Sequuti ſumus preſſo pede inſtructiſſimam Auguſtanorum pharmacopoeiam, ad cuius normam pleraque noſtra exegimus.* Et HERMANN. CONRINGIVS, at quantus Vir! *in Introd. in Vniuerſ. Artem Med. c. XI. §. 12. p. m. 376. Pharmacopoea Auguſtana obſcurauit pene famam diſpenſatorii antiqui Norimbergenſis ſiue Valerii Cordi. Quanquam enim Norimbergenſes diſpenſatorium ſuum maiori opera recudi curauerint, praeualuit tamen Auguſtani auctoritas, ita vt pleraeque Germaniae officinae pharmaceuticae normam illius quam maxime ſequantur.* Conf. Illuſtris LVC. SCHROECKII noſtratis *Hygea Auguſtana*, et quae ibi in laudes Operis incomparabilis affert. Addimus tamen teſtimonium omni exceptione maius, infenſiſſimi ſcilicet Diſpenſatorii noſtri hoſtis, IOAN. ZWELFERI, qui in *praefat. animaduerſionum in Pharmacop. Aug.* inter alia, *Auguſtanum*, ait, *illud diſpenſatorium, ceu inter cetera approbatiſſimum, et vbiuis in Germania a Medicis et Pharmacopoeis receptum, quodque cuncta alia complectitur, adeoque vt eodem a mendis liberato, reliqua omnia purgata cenſeam, in manus ſumere, eidemque ſtrenuam meam locare operam conſultum et proficuum duxi.*

laudes positus, et immortale Augustae patriae decus, LVCAS SCHROECKIVS. (s) Non poterat autem tantus fortunae fauor caninis inuidiae dentibus subtrahi, et ab allatrationibus maleuolorum immune prorsus esse, quod per integrum hactenus seculum fuerat, Augustanorum dispensatorium. Inuentus est itaque aduersarius, qui ex hostis, quem sibi debellandum sumsit, celebritate gloriam sibi spondens, non insano tantum ausu, sed et modo plane iniquo, et ab omni humanitate remoto, bellum libro collegioque Medico Augustano, tot nominibus hactenus de arte salutari bene merito, indixit, dicamque scripsit. Fuit is IOANNES ZWELFERVS, Palatinus, Medicinae Doctor, vir non indoctus, sed sibi soli sapere visus, altoque supercilio et dictionis genere impurissimo, iniuriisque pleno, Augustanam Pharmacopoeam aggressus, in *animaduersionibus in Pharmacopoeiam Augustanam eiusque mantissam* siue *Pharmacopoeia Augustana reformata.* (t) Qui liber, cum Norimbergae altera vice

eodem

(s) in *praefat. Pharmacop. August. restitutae plag. C. 2.*

(t) Totus libri Titulus hic est: *Animaduersiones in Pharmacopoeiam Augustanam et annexam eius mantissam, siue, Pharmacopoeia Augustana reformata, in qua vera et accuratissima methodo Medicamentorum simplicium et compositorum praeparationes tam dextre traduntur, ac insuper antiquorum errores deteguntur, vt inde seruatis et exaltatis simplicium medicaminum facultatibus instrumento multo aptiore Medico euadant, quibus cito, tuto et iucunde affectus corpus humanum infestantes propulsari queant. Nunc primum in lucem edita opera et studio Ioannis Zwelferi, Palatini, M. D. sumptibus auctoris 1652. fol.* Locus impressionis additus non est; refert vero CORN. A BEVGHEM in *Bibliograph. Medic. et Physic. Consp. I. p. 304.* eam *Viennae* prodiisse. Aliud tamen nos docet D. MICH. RAPHAEL SCHMVZIVS in *Iure retorquendi,* siue *Apologiae Schmuzianae parte altera, p. 48. seq.* qui innuit, Zwelferum animaduersiones suas in Pharmacopoeiam Augustanam Collegii quidem Medici Viennensis censurae et iudicio subiecisse, omisisse tamen, quicquid amaritudinem vel vehementiam proderet, honesteque de Dispensatorio Augustano dixisse et scripsisse. Ita cum censuram, quam vocant, obreptitie nactus esset, conuitiorum semina et malitiae perditissimae lolium in illas demum seminasse, totos libros mutauisse,

eodem titulo anno MDCLVII. ederetur, acceſſit *appendix ad animaduerſiones in Pharmacopoeiam Auguſtanam eiusque annexam mantiſſam, item ad pharmacopoeiam regiam ſeu diſpenſatorium nouum.* (u) Quae poſtea tertia quoque vice MDCLXVII. et quarta MDCLXXV. in fol. et MDCXCIII. in 4. Norimbergae in lucem protuſae, et apud Batauos quoque haud ſemel recuſae ſunt. Scopum vero hunc ſibi praefixiſſe Zwelferus ait, (x) vt errores, qui in Pharmacopoeiam Auguſtanam, et ſic in omnem fere rem medicam, hactenus irrepſerant, breuiter exponeret, compoſitiones a Medicis ſatis confuſe praeſcriptas ſaluis ingredientibus in ordinem redigeret, verumque praeparandi doceret modum rationemque. Id quod non ſolum in his animaduerſionibus, ſed in ipſa quoque, quae Norimbergae MDCLXVIII. prodiit; *Pharmacopoeia regia* ſe praeſtitiſſe μετὰ πολλῆς φαντασίας aſſerit. Poterant haec ſine bile, ſine amaritudine luci publicae exponi, nec neceſſe erat, modeſtiae viriſque opti-

et, ne dolus patefieret, clam Norimbergam cum cenſura Viennenſi miſiſſe, ibi clandeſtine imprimi curaſſe. Imo ſi huius Auctoris ad viuorum teſtimonia prouocantis fide ſtandum eſt, *Zwelferus*, ne latine quidem doctus, alieno calamo plumiſque peregrinis opus ſuum adornauit, et alius forte Auctor harum animaduerſionum fuit. Caeterum conferenda hic Magnifici D. SCHROECKII *Pharmacopoeia Aug. reſtituta*, qui in *praefatione, plag. C. I.* refert: inclytum Noricorum Medicorum Collegium animaduerſiones Zwelferianas cenſurae ſuae ante primam earum impreſſionem commiſſas, typis indignas iudicaſſe, ampliſſimum itidem ibidem Senatum pariter reieciſſe, literis ea de cauſa Auguſtam perſcriptis atteſtantibus. Sic vt Zwelferi animaduerſiones merito pro libro furtiuo habeantur.

(u) *In qua, quae in illis aliquanto forſan obſcurius et manca viſa ſunt, tanto dilucidius, et enucleatius expanduntur, et perſpicuis notis illuſtrantur, vt non ſolum ad priorum exactiorem notitiam facere, ſed nouis inſuper ſecretioribus remediis et doctrinis affatim adaucta, gratiae philiatrorum eſſe poſſint opera et ſtudio eiusdem Autoris Ioannis Zwelferi, Palatini, M. D. Norimbergae 1657. fol.*

(x) in *praefat.*

optimis et famae aeternitatem diu iam meritis, praesertim qui iam in viuis esse desierant, non parci: quod si factum esset, tantum abest, vt indigne tulisset Collegium Medicum Augustanum, vt humanae potius sortis, erroribus obnoxiae et multa experientia semper emendandae memor, facile, quae ratione et experientia suffragante sobrie et prudenter dicta essent admisisset: (y) sed aliam literarum elegantiam bonosque, immo Christianos, quoque mores, minime decentem viam Zwelferus ingressus est. Etsi enim nulli se iniurium fuisse, neminem sugillasse, crepabat, aliud tamen scripta eius ostendunt, in quibus (z) insulsas, inutiles, ineptas, inconcinnas, ridiculas, vanas, stupidissimas, absurdas, ad destructionem aegri excogitatas, etc. vocat Augustanorum compositiones, ipsos etiam auctores gloriolae cupidine prurientes, ignaros, et nescio quibus aliis probrosis nominibus onerat, in celeberrimum imprimis Mindererum acerbe multoties debacchatur, totaque conuitiorum plaustra euomit. Tantum vero abest vt rem acu Zwelferus tetigerit, vt potius multos, eosque crassissimos, errores, quorum Augustanos accusauerat, ipse, in Pharmacopoeia praesertim regia, admiserit, plumis insuper alienis se ornans, quod palpabit facile quilibet, qui Beati LVCAE SCHROECKII nostratis *Pharmacopoeiam Augustanam restitutam*, de qua mox plura dicemus, cum Zwelferianis scriptis contulerit.

§. XII.

Causae hae satis graues esse poterant Collegio Augustanorum medico, vt tot tantasque iniurias publica apologia repelleret,

(y) *Debita correctio, tranquillo animo instituta, eruditis et modestis hominibus grata acceptaque est, e contra concitatiore cum animo quae fit, detestanda censetur. Adplaudunt et Augustani, non inuident, non fremunt, si speciosis sapientiae et modestiae verbis euentus respondeat. Minime negant, aliquo meliori modo fieri posse, illa omnia tamen fallere, pernegant.* Cel. SCHROECK. in *praef. ad Pharmacop. restit. pl. C. 2.*

(z) *Ibid. pl. B. 4.*

leret, et ſuam atque Maiorum famam ſtrenue vindicaret. Id quod facere etiam, vindiciasque ſcribere, primum in animum (a) induxit: aſt monitum (b) a viris in arte medica prae aliis excellentiſſimis, ne cum homine ad contentionem nato ignobile bellum iniret, amico conſilio locum dare haud detrectauit, ad meliorem frugem Zwelferum rediturum ſperans. Quae ſpes cum de aduerſario decollaret, isque non in appendice tantum animaduerſionibus ſuperaddita, ſed in vltima quoque operum editione cum apologia contra *Ottonem Tackenium* de nouo falſe admodum, ſiue inſulſe potius, illud medicorum Synedrium traduceret, mitis tamen Auguſtanorum animus rabiem illam ſilentio compeſcere, magis decorum duxit, praecipue cum eluceſceret, Zwelferum non veritatis amore, nec virtutis ardore tam auerſae mentis eſſe, ſed vt deprimeret alios medicos, ipſius deliramenta non adprobantes, ſine erubeſcentia maledictis inceſſere. Sicque egregia patientia et generoſo ſilentio, quae ſola contra huius furfuris homines arma ſaepe ſunt, vſum Collegium medicum eum ſine reſponſione ad plures abire paſſum eſt, efferam iſtam quosuis ſine vllo reſpectu inuadendi, mordendi, lacerandi libidinem ſimul tumulatam fore, ſperans.

§. XIII.

Sed ecce noua tragoedia, maioresque tumultus, qui, quo turpiores erant, magisque ab omni humanitate alieni, eo magis ingloriam, neceſſariam tamen, contentionis ſerram reciprocare coëgerunt Auguſtanos medicos. Ex ſepulchro enim rediuiui Zwelferi manes viros optimos, nec quidquam tale meritos

(a) Vid. Magnif. Dn. SCHROECK. *praefat. ad Pharmacop. Auguſt. reſtit.* mox init.

(b) Haec ipſa laudatiſſimi Viri verba ſunt, quibuſcum conueniunt, quae Colleg. Medicum in *Iudicio de Schmuzii Apologia* Germanicae parti praemiſſa monuit, quaeque in literis mſc. ad Senatum, eiuſque nomine Collegio Medico Praefectum, Vir. Generos. Hier. Sultzerum d. 22. Aug. 1672. datis dicuntur.

ritos indigniſſime agitabant, famamque bene partam proſcindebant. Anno MDCLXXI. *Fridericus Müllerus* quidam; (c) Seplaſiarius Viennenſis in ſcenam prodiit, et infernale virus denuo in Auguſtanos euomuit. Occaſionem dedit MICHAEL RAPHAEL SCHMVZIVS, a *Poyſtorf*, Med. et Phil. D. et Ducis Neoburgici Conſiliarius, aulae et ciuitatis medicus, qui *apologiam Latinam contra Ioannem Zwelferum*, (d) dicaciſſimo et inquinatiſſimo ſtilo conſcripſerat. Quam apologiam, (quam quidem *epiſtola apologetica cuiusdam Anonymi* contra *Schmuzium*, *operibus Zwelferi Anno MDCLXVII. Norimbergae editis adnexa*, ob Sarcaſmos largiter inſperſos Schmuzio extorſit,) (e) cum

(c) Hiſtoriam huis belli arcanam hanc habe: Legauerat teſtamento Zwelferus *Spenholzio* cuidam, qui prius Societati Ieſuitarum adſcriptus fuerat, poſtea vero praeſidii militaris Rabae Medicus conſtitutus fuit, quinquaginta thalerorum annuum ſtipendium, ea lege, vt ipſum poſt mortem, ſi quis ſcripto nomen ſuum laceſſeret, defenderet. Cum vero et hic Mullerus et alius Pharmacopola, *Paulus Saur*, ſtipendio quoque eodem aucti bonorum Zwelferianorum curatores eſſent, excitatus is mox citando Schmuzii ſcripto, Spenholzii calamo in ſcenam abominabilem proceſſit. Quae circumſtantiae locutionibus quibusdam Schmuzianis et Schroeckianis, qui tacite ad eas reſpiciunt, lucem accendent. Conf. SCHMVZII *Antitheſis pl. D. 4.*

(d) Titulus libri eſt: *Apologia contra Ioannem Zwelferum, Pſeudo-Hippo-Galenicae Medicinae Doctorem et Diſpenſatorii Auguſtani Correctorem, Animaduerſorem, authore Michaële Raphaële Schmuzen a Poyſtorff, Medicinae et Philoſophiae Doctore, Sereniſſimi Principis et Ducis Neoburgici Conſiliario, Aulae et ciuitatis Medico, typis aulicis, per Ioannem Modeſtum Straſſer, Aulae Typographum Anno 1671. 8.* Inſcriptus libellus, vt typorum et chartae, ſic ſtili et rerum immunditie Auctoris nomine dignus, Collegio Medico Auguſtano, cuius ſe in iuuentute membrum fuiſſe, proque eius honore et gloria ſe veteranum et gregarium Reipublicae medicae militem contra Zwelferum in arenam deſcendere pronunciat. In prodromo vero ad Lectorem orat ne ipſum leuitatis ſcurrilis damnet, quod paſſim figuris extra rhombum, rhetoricis, analyticis, allegoricis et hyperbolicis vſus fuerit, vt aduerſarii ineptiis et ſubſannationibus in ordine ſatisfaceret.

(e) Monente Illuſtri SCHROECKIO l. c. ex libro citando vero *p. 51.* apparet, Schmuzium in tractat: *de thermis Carolobadenſibus* Zwelferum notaſſe, ſicque crabrones irritauiſſe.

cum Collegio Medico per Io. Balthasarem Stangium M. D. et Medicum Episcopi Augustani ac Ducis Neoburgici transmitteret nondum editam, Collegarum expetens iudicia, et responso nullo accepto iterum rescriberet, respondit tandem Collegium Augustanum, libellumque remisit, quae responsio vti est humanissima, (f) ita satis innuit, collegium medicum vlli se controuersiae immiscere nolle, sed manere in tranquilla Diis hominibusque grata modestia, et in bonorum studio, quoniam sic satis famae suae prospectum sit. Quibus literis tantum abest, vt, quod aduersarius postea crepabat, Schmuzium instigauerint ad apologiam edendam, vt potius amice et humaniter eum illos dehortatos fuisse, facile cuiuis pateat. Non alieno enim hyperaspista indigebant Viri doctissimi, nec indignam viris bonis respondendi methodum et conuiciandi libidinem probabant. (g) Ast aliter ista sibi euenisse ratus Schmuzius, cum apologiam ederet, ecce apparet *Vmbra* (hic enim libri titulus) *rediuiui Zwelferi, seu extemporaneum responsum ad extrauagans Apologema cuiusdam Raphaëlis Schmuzen, Medici Neoburgici, contra clarissimum D. Ioannem Zwelfer, Augustani Dispensatorii Correctorem, editum authore Friderico Müller a Löwenstein, Interioris Senatus ciuici Viennensis ad sinum aurei cerui ibidem Pharmacopoeo.* (h) In breuissimo hoc, et quatuor tantum plagulis constante libello non Schmuzius tantum Satyrico sale pessime perfricatur, sed et impudentissimo calamo conuitiorum acerui in Collegium Medicum Augustanum euomuntur, quasi illud Schmuzium suum antesignanum elegerit, cuius ductu et auspiciis contra Zwelferi manes pugnaret, et cum laruis et vmbris luctaretur. Respondit quidem Schmuzius non minus vehementer, ac prouocatus fuerat, ita vt vix

 indi-

(f) Eam ex parte Dn. D. SCHROECKIVS l. c. totam vero ipse SCHMVZIVS *apologiae parti alteri* vernacula conscriptam inseruit.

(g) Teste *Protocollo Colleg. Med. Aug. Tom. I. p. 785. 790. sq. 803. 828.*

(h) *Norimbergae 1671. 8.*

indignius quicquam hominibus eruditis iſta controuerſia ex vtraque parte legas, duplicique ſcripto (i) famam ſuam et Collegii Medici Auguſtani defendere aggreſſus eſt. Iſta tamen nec Auguſtanis placebant, nec audebant, quod in prouerbio dicitur, cum ſtercore certare, ne victoria quoque polluerentur. Quae mira virorum honeſtiſſimorum patientia cum aliis haud infimi nominis Medicis viriſque grauiſſimis, quorum magna apud eos erat auctoritas, nimia videretur, nec impune ita famae Auguſtanorum inſultari dimittendum eſſe cenſerent, tandem, (k) ne modeſtia, hac ex parte religioſe hactenus obſeruata, apud honeſtatis bonaeque famae patronos in opprobrium iuſte veniat, Pharmacopoeiae Auguſtanae, a praeclariſſimis olim et hodie etiamnum viuentibus Medicis, peruerſos, inuidos, improboſque cenſores minime expectantibus, ſed gratos potius ac beneuolos lectores ſperantibus, non ſine magno ſtudio magnaque induſtria elaboratae honorem et ſplendorem, ab integro pene ſeculo illibate conſeruatum, pro virili defendere et imperterrite tueri pietate ac reuerentia, quae venerando-

(i) Primi titulus eſt: *Ius retorquendi, ſeu apologiae Schmuzianae pars altera Germanica, hoc eſt vera et rationalis veteris diſpenſatorii Auguſtani reſtitutio, contra Ioannem Zwelferum, Pſeudo-Hippo-Galenicum Medicum, Diſpenſatorii Auguſtani Animaduerſorem et Correctorem;* an alle und jede in und auſſer des heil. Röm. Reichs *legitimirte* und *approbirte Hippo-Galen-*und *Philoſophiſche Medicinae Doctores,* alſo auch und zuforderſt die geſammte *Hippo-Galeniſche* Apothecker, *Prouiſores,* der Kunſt zugethanen, einverleibten und *intereſſirten Studioſos, Anno 1672. 8. plag. 10.* Alterum hoc gaudet rubro: *D. T. O. M. A. Exorciſmus Medicus, Manium, laruarum, et maleferiatorum Spirituum Zwelferianorum ſub perſonati Friderici Muller a Lewenſtein Pharmacopoei Viennenſis, Rediuiui Zwelferi ad ſymbolum aurei cerui, Enthuſiaſmo, ſeu phantaſmate furioſe excitatorum et oberrantium, qui inuito fato exegeſi Philoſophicae, Doctoris Schmuzen Medici a Poyſtorff, Auſtriaci inferioris in Hippo-Galenico Medicorum Exedra exorcizandi et abominandi miſſi et commiſſi ſunt Anno 1673. plag. 4.*

(k) Verbis ipſis Viri Magni haec enarramus in *praef. Pharmac. Aug. reſtit. pl. A. 2.*

randorum Antecessorum tam acerbe laesis manibus debetur, instigatus, in se recepit Medicorum nuper Coryphaeus et immortale nominis Augustani decus, Illustris D. LVCAS SCHROECKIVS, cognominis Patris celeberrimi, celebrior adhuc filius, tunc quidem Medicorum Augustanorum loco et numero vltimus, ingenio vero cum quouis comparandus, postea autem summos inter Medicos Germanos honores excellentissimis meritis consecutus, et nuper non sine lachrymis nobis ereptus, et post funera adhuc desideratissimus. (l) Is, inquam, tantarum iniuriarum indignitate excitari se ad defendendam bonam causam passus, edidit, *Pharmacopoeam Augustanam restitutam, siue examen animaduersionum in Dispensatorium Augustanum. eiusdemque mantissam Hermeticam Ioannis Zwelferi Palatini; anno MDCLXXIII. 4.* Vbi in praefatione generali ad ea quidem carptim respondet, quae pessimus aduersarius vel falsa et conficta, vel suspicione obstetricante producta, vel ab omni humanitate aliena, improba, iniuriisque scatentia dixerat, quaeque inuidum et malum Zwelferi animum suopte indicio prodere poterant. In ipso vero eruditissimo et praestantissimis quoque et a partium studio alienis viris laudato (m) ope-

 re

(l) Splendidissimis enim honoribus auctus incomparabilis Senex Sacrae Caesar. Maiest. Archiatri, eiusque Personae Imperialis Medici, S. R. I. Nobilis, Aulae Caesareae Palatiique Lateranensis Comitis, Caesareae Leopoldinae Imperialis Naturae Curiosorum Academiae Praesidis, Physici Lib. Imper. Ciuit. Augustae Primarii Ordinarii, et Academiae Patauinae Recuperatorum Socii, Collegii Medici Augustani Vicarii perpetui et Pharmacopoliorum Visitatoris, etc. titulo fulsit, et ab Anno MDCLXXII. die XXII. Decembr. quo ordini Medico inter Augustanos adscriptus est, vltra dimidium seculum alterum se Augustanorum Podalirium praestitit, nuper vero sera, omnibus bonis tamen praematura morte, d. 3. Ian. 1730. humanis rebus ereptus est, cuius virtuti et praestantiae cum meritas laudis tabulas *Amoenitat. liter. Tom. XIII. p. 1. seqq.* suspenderimus, hic quicquam addere superuacaneum existimamus.

(m) Vid. Cel. GVNTHER. CHRIST. SCHELHAMMER, in Addit. *ad Herm. Conring. Introd. in Vniu. Art. Med. c. XI. §. 5. p. 384.* qui ita: *Zwelferum nimium interdum sibi sumentem, et vltra, quam sua*

re animaduerſiones Zwelferianas κατὰ πόδα ſequitur, eas examinat, argumentisque ex ipſarum compoſitionum natura, auctorumque, immo ipſius antagoniſtae conſenſu deſumtis ita aduerſarium aggreditur, vt propriis haud raro telis hominem improbum confodiat. Quemadmodum vero rationem cum experientia oculos Medicinae ſemper habuit excellentiſſimus Auctor; ita tantum abeſt, vt veterum placitis cum reiectione recentiorum mordicitus inſiſtat, vt potius, vbi errores ipſe deprehenderat, libere fateatur, ſuaeque aetatis Virorum doctorum obſeruationes et digna laude mactet, et ſuo loco admittat. Non poterant haec modeſtius viroque docto atque graui dignius, praeſertim in tanta peſtilentiſſimi hoſtis prouocatione dici, maiorique animi moderatione impudentiſſima excipi tela: hoc tamen non obſtante, emendicatus MVLLERI calamus, nouo libello ςυλιτευτικῷ eiusque addito poſt ſcripto,(n) peſſime tantam modeſtiam excepit, et non minus ſcabioſa rabie Viro optimo, quam Schmuzio reſpondit. Ad quas chartas cum non tantum Schmuzius Anno MDCLXXIV. noua antitheſi (o) ita tamen reſponderet, vt nec ipſo Cel. Schroeckio,

*peritia ſeſe extenderet, procedentem, iuſtis nouis animaduerſionibus repreſſit foecundum et elegans Lucae Schroeckii, iunioris ingenium.* Conf. *l. c. §. II. p. 376*

(n) Mentitus hic fuit nomen PHILONIS NASTVRTII, Spaenholzius, quem verum horum libellorum auctorem fuiſſe ſupra monuimus; hoc enim nomine dedit: Eilfertiges Gutachten *Philonis Naſturtii*, Zwelferiſchen Bundesgenoſſen, über die hochbedenckliche *Attentata*, tieferſinnte, unbeſonnene und ärgerliche *Defenſions*-Schrifft eines *Raphaël Schmuz* von Poyſtorff, uhralten Neuburgiſchen Leib-*Medici*, ſo er aufgerichtet, zu unſterblichem Lob und ewigwährendem Siegspreiß des Augſpurgiſchen *Diſpenſatorii*, wie dann auch zu ſchändlichem nachtheil, Hohn und Schimpf, des tiefbedaurlichen, Redlichen, Hochgelehrten Herrn Joannis Zwelfers, weitberühmten *Practici* in Wien, Erb-und Meiſterlichen-*Correctoris* des weltbekannten *Auguſtani*, nebenſt zu End angehengter Errinnerung, an den *in Arte Pharmaceutica* gantz ſeicht gelehrten *Lucam Schroeckium, Lucis filium*: gedruckt *in tempore 1673. 8. pl. 5.*

(o) *Antitheſis* oder Gegenſatz einem abtrünnigen der *Hippo-Galeniſchen Me-*

ckio, cum tamen Collegii Medici partes defendendas in se susceperat, parceret, sed Vir quoque doctissimus, D. FRIDERICVS HOFFMANNVS, quasdam Schroeckii obseruationes contra Zwelferum refelleret, huiusque suo modo partes defendendas in se susciperet, (p) omnibus vna Scriptione occurrendum ratus, Pharmacopoeam Augustanam restitutam ita defendit, (q) vt personato Nasturtio, (cui laruam mutato hoc nomine Nastutii et Nascurtii detraxit,) (r) paucis, quae verbo adhuc digna videbantur, clarissimo vero Hoffmanno eadem, qua ipse vsus erat, humanitate, Schmuzio vero contemtu tribus verbis (s) responderet. Sicque impudentissimis istis allatratoribus tandem fatis concedentibus toti controuersiae de Pharmacopoeae Augustanae integritate, auctoritate et emendatione finis est impositus.

§. V.

*dicin*, und Catholischen Glaubens Mameluken und Widertäuffern für dißmahl und *Philo Nasturtius* genannt, an statt eines *recepisse*, seiner unerhörten und gleichsam unchristlichen Scartecken, Claturen und Maculaturen, die er an das Löbl. Augspurgische *Medicorum Collegium* und mich *A. 1673. d. 1. Aprilis sub dato* Grain auf der Esels-Post ablauffen laßen, ertheilet, von *Michäel Raphäel Schmuzen* von Poystorff, unter Oesterreichern, *Philosophiae* und der *Hippo-Galeni*schen *Medicin Doctore, Medico*, ihro Hochfürstl. Pfaltz Neub. Durchl. Rath, ältesten Hof- und Stadt-*Medico*, gedruckt im Jahr *Anno 1674.* Laudes quas ipse sibi tribuit vide *pl. C. 2.*

(p) In notis ad *clauem Pharmaceuticam Schroederianam.*

(q) Ecce et huius bonae frugis pleni libri titulum: *Pharmacopoeiae Augustanae restitutae ab eius Auctore Luca Schroeckio Luc. fil. Medicinae Doctore et in patria Physico suscepta defensio, qua imprimis Dn. D. Frid. Hoffmanni argumentis in claue Pharmaceutica Schroederiana contra praedictum dispensatorium pro Zwelferi defensione prolatis respondetur: simulque cuiusdam ficto nomine vocati Philonis Nasturtii Postscriptum, et hanc respiciens Schmuziana Antithesis excutitur. Aug. Vind. 1675. 4. pl. 11.*

(r) Vtebatur enim Mullerus naso semicereo, ad quam circumstantiam passim, et in fine quoque alluditur, vbi dicitur, eum naso magnopere torqueri non posse.

§. XIV.

Sed vt poſt longam, qua nos Occoniani Diſpenſatorii fata vocauerunt, digreſſionem in viam reuertamur, et celeberrimi Operis hiſtoriam abſoluamus, cum iſta, quam enarrauimus, contentione maior eius gloria eniteſceret, et, quia vbiuis terrarum expoſcebatur, exemplarium copia iterum deſideraretur, illuſtris Senatus Auguſtanus Anno MDCLXXXIV. non tantum publice ſumtus ad cudendam nouam eamque nitidiſſimam editionem liberaliſſime ſubminiſtrauit, ſed et collegio Medico eius curam ſollicite commendauit. Cuius nomine, tot iam titulis de hoc opere egregie meritus Illuſtris SCHROECKIVS eam in ſe recepit, qui ſeruatis prioris editionis prolegomenis et ordine claſſibusque, Medicamenta quaedam apud Auguſtanos minus vſualia ei exemit, nouis et a celeberrimis tunc temporis Medicis inuentis, vſuque tandem receptis ſubſtitutis; non tamen prorſus eiecit, ſed quod alibi forte locorum, vbi haec norma valet, adhuc in vſu erant, minori charactere ad calcem ſingularum claſſium adiecit. Sic in medicaminum quoque praeparatione multa illuſtrauit, immo, ſeruatis licet auctorum nominibus, in ipſarum formularum compoſitione multa, experientia et obſeruationibus doctorum virorum mo- nen-

(s) Totum reſponſum his verbis continetur:

Quae
in antitheſi ſua
ad
PHILONEM NASTVRTIVM
Anno MDCLXXIV.
Dn. MICH. RAPHAEL SCHMVZIVS
a Poyſtorff. etc.
Philoſophiae et Medicinae Doctor
contra me
diuerſis in locis protulit
LEGI.

L. Ann. Senec. l. III. de ira c. 36.

Noli congredi cum imperitis. Nolunt diſcere, quod nunquam didicerunt.

nentibus, mutauit emendauitque, pluresque alias Medicorum coaeuorum descriptiones medicamentorum felici experientia comprobatorum et polychrestorum addidit. Quae noua editio, vt et omnis de laudatissimo hoc libro cura, a celeberrimo Viro in eius defensione suscepta, tanto applausu excepta fuit ab orbe literato, vt non tantum Leopoldi I. gloriosissimae memoriae Imperatoris Medici eam omnibus publice praetulerint, suaque commendatione promouerint, sed et intra decennium nullum amplius exemplum in bibliopoliis venum prostiterit. Quare Anno MDCXCIV. decima tertia excusa editio, ab vltima nihil diuersa, nisi quod in fine addita appendix, continens ea Medicamenta, quae ab vltima editione collegio Medico Augustano in vsu esse coeperunt. Tandem, cum ob exemplarium inopiam alio loco impressum iri Nostrates metuerent, decimam quartam curauerunt editionem Anno MDCCX. luci publicae expositam, in qua, seruato editionis anni MDCLXXXIV tenore, appendix suo loco inserta et ex celeberrimi Viri GEORG. HIER. WELSCHII *Opere Pharmaceutico* (t) in Msc. latente circa diuersam medicamina elaborandi methodum quaedam inserta, nouae quoqu hinc inde animaduersiones contra Zwelferum inspersae iterumque aliae complures Recentiorum Celebrium Medicorum formulae et descriptiones, quae constanti eaque felici sua efficacia in praxi clinica sese commendauerant, adiectae sunt.

§. XV.

Iam ad ipsum *Occonem* eiusque Scripta redimus; inter cuius meletemata medica referenda tandem VI. *Epistola quaedam elogium Rhabarbari continens*, quae inserta est LAVR. SCHOLZII *Epistolis philosophicis*, *medicinalibus ac chymicis*, (u) quae pariter, vt reliqua eius scripta medica, laudem confirmat, ab

(t) Vid. Cel. SCHROECK. in *Memor. Welsch.*
(u) *num. XV. p. 18. sq.*

ab ABRAHAMO BVCHOLZERO (x) ei tributam, *medicum fuisse eruditione solida rerum medicarum et experientia clarissimum.*

§. XVI.

Quemadmodum vero in re medica magnum se Occo eruditissimis Scriptis praestitit, ita non minorem se in eorum studiorum genere ostendit, quae ab antiquitate nomen sibi sumunt et gloriam. Cuius locupletissimi testes sunt: VII. *Imperatorum Romanorum numismata a Pompeio magno ad Heraclium, quibus insuper additae sunt inscriptiones quaedam veteres, arcus triumphales, et alia ad hanc rem necessaria: summa diligentia et magno labore collecta, ab Adolpho Occone R. P. Aug. Medico, antiquitatum studioso, Antwerpiae ex officina Plantiniana, anno MDLXXIX. 4.* Accensus scilicet cognitionis nummariae elegantia et vtilitate Occo, ab annis XXIV. ea qua potuit diligentia, (y) quoscunque hactenus ipsi videre contigerat, nummos in hunc commentariolum exactissime contulerat, praeteritis magna ex parte omnibus aliis, quorum ipsi videndi copia aut facultas hucusque fuerat denegata: quorum bonam partem cum ex haereditate paterna tum aliunde petitam ipse apud se habebat, plurimos vero ab illustrissimis quibusdam principibus, nonnullos ex thesauro *Marci Fuggeri*, reliquos a splendidae et mediocris sortis hominibus erat mutuatus. (z) Quos itaque suis oculis viderat et probauerat, eos pro legitimis suae quemque seriei et ordini annorum ac temporum tam Orbis quam Vrbis conditae, et ante et post Christum natum ratione, quoad eius fieri potuit, obseruata inseruit. Ceteros vero vel ex aliorum obseruatione congestos vel graphice depictos, vel ex au-

ctorum

(x) in *Indic. Chronolog. p. 503.*

(y) Haec ipsis Occonis Verbis in *dedicat. ad Albertum Comit. Palat. Rheni* enarramus.

(z) Cuius specimen sistunt C. GESNERI *Epistolae Medicin. l. II.* passim, *vid. pag. 49. 50. 51. 60. 61. 62. 63. 64. 68. 71.*

ctorum libris excerptos, rariores duntaxat, ſuo item loco et ordine, additis ſcriptorum nominibus, diligenter annotauit, ſicque bonis, quod aiunt, auibus librum euulgauit, applaudentibus Hieronymi Wolfii, Nicolai Reusneri et Nicodemi Friſchlini (a) elegantiſſimis Camoenis. Quia vero poſt primam editionem multa a Viris doctis et hoc theſauri genere inſtructis, aeterno imprimis Auguſtae Vindelicorum Ornamento, Viro magno, MARCO VELSERO, Duum Viro Auguſtano, non ad ornandas tantum, ſed et iuuandas in aliis elegantiores literas nato, Occoni ſubminiſtrabantur numiſmata, et Vir illuſtris ipſi operi melius et accuratius concinnando manum adiutricem ipſe non denegauerat, (b) nouam, eamque multis nummorum millibus auctam editionem adornauit Occo noſter, iam fere capularis ſenex, (c) quae Anno MDCI. hoc titulo Auguſtae prodiit: *Imperatorum Romanorum numiſmata a Pompeio Magno ad Heraclium, editio altera, multis nummorum millibus aucta per Adolphum Occonem, Medicum Auguſtanum:* quaeque plagulis alphabeti numero pluribus excedit primam. Equidem et tertiae editionis cum paralipomenis mentionem faciunt MART. HANCKIVS (d) et LIPENIVS, (e) quam ille Anno MDCXXV. hic Anno MDCXXVI. Auguſtae editam aſſerit. Neutram tamen nos vidimus, vel aliunde quoque didicimus.

§. XVII.

Non poterat non Occonis diligentia et eruditio, adeoque haec quoque Imperatorum Romanorum hiſtoria iuſtis rerum aeſtimatoribus eſſe in deliciis, hincque egregie laudari. Vt enim encomia virorum doctorum libri veſtibulo praefixa, et



(a) Quorum carmina elegantiſſima editioni huic praefixae ſunt.

(b) ita ipſe Noſter in *Dedicat. ad Ioannem de Schellenberg, Dominum in Hüffingen, Stauffen, Randeck.*

(c) Annum enim agebat ſeptuageſimum ſeptimum.

(d) de *Romanar. rer. ſcriptoribus, P. I. c. 78. p. 262.*

(e) In *Biblioth. philoſoph. p. 1016.b.*

quae Viri quoque principes et illustrissimi vel eruditionis fama summi, inter quos, praefiscini dixerim, *Marcus Velserus*, fere primas ducit, de eo statuerunt, et in dedicationibus tanguntur, (*) taceamus, ANTONIVS AVGVSTINVS, (f) THOMAS DEMPSTERVS, (g) PHILIPPVS CAMERARIVS, (h) FRANCISCVS HOTTOMANNVS, (*) IOANNES IACOBVS CHIFFLETIVS, (i) CAROLVS PATINVS, (k) PHILIPPVS LABBEVS, (l) ACTA ERVDITORVM LIPSIENSIA, (m) BVRCARD. GOTTH. STRVVIVS, (n) IACO-

(*) Mireris hic insanam seueritatem *Indicis expurgatorii Hispanici*, a SOTOMAIORE editi *p. 5.* vbi permittitur quidem altera Occoniani libri editio, si tamen in prima libri facie adscribatur nota damnati auctoris, et operis cum expurgatione permissi. In praeuiis vero pöematis laudatoriis sectariis pöematum auctoribus inuri iubetur damnationis nota videlicet Hieronymo Wolfio, Nicolao Reusnero, Nicodemo Frischlino, Dauidi Hoeschelio. Certe et in nominibus αἱρεσις!

(f) Ita enim Vir illustrissimus et in antiquitatis studio versatissimus, *nelli dialoghi intorno alle Medaglie, Inscrittioni et altre antichità in Roma, Dial. XI. p. 298. Nel libro di Adolfo Occone, huomo molto dotto nella Medicina, et in tutte belle lettere, degli Imperatori senza disegni, sono con gran ordine de' tempi le inscrittione dei ritti et de' rouesci da Pompeio Magno fino all' Imperador Heraclio con l' interpretatione di alcune et appresso la vita di ciascedun' Imperadore descritta compendiosamente posta a i luoghi suoi.*

(g) in *Elencho Script. Rosini Antiqq.* praefixo, cui audit Occo *antiquarius diligentissimus.*

(h) *Horar. Subcisiu. c. XIV.* vbi Occonem *eximium Medicum et eruditae antiquitatis solertem indagatorem nominat.*

(*) *De Pop. Rom. re num. c. 5.* qui Fuluio Vrsino et Ad. Occoni *in colligendis antiquorum nummorum formis, omnium consensu palmam deberi* pronuntiat.

(i) *de Ottone Aeneo. pag. 10.* Cui *Occo Sedulus scriniorum in Germania scrutator audit.*

(k) in *introd. ad Histor. numismat. C. XXIV. p. 197.* vbi hunc librum *ad studium numismatum apprime necessarium* iudicat.

(l) in *Biblioth. nummaria Teisserii Catal. Auct. annexa p. 2.* qui *operis accuratissime elaborati laude* dignatur.

(m) *Ann. 1684. M. Mai. p. 199.* quae fatentur, *Occonem inter eos, qui de re nummaria paulo copiosius sunt commentati praeclarum sibi nomen iamdudum comparauisse congestis Imperatorum Romanorum a Pomp. M.*

IACOBVS BVRCARDVS, (o) dignas tanta eruditione et diligentia laudes larga manu Occoni tribuerunt. Quemadmodum vero nihil eſt ab omni parte beatum, ita negari quoque non poteſt, in Occoniano opere naeuos quoque ſuos inueniſſe viros doctos, eosque candide indicaſſe. Quod mirum videri debet nemini; qui humanae ſortis memor meminerit, nondum tritam et ignotam fere viam calcaſſe Occonem, quem huc penetraſſe iſto quidem tempore, nemine fere facem praeferente merito miramur, etſi et in temporum ſerie, et reliquis circumſtantiis multa, praeſertim hoc noſtro tempore melius dici poſſe et debere minime negamus. (p) Vnde IACOBI GRETSERI, (q) IO. ANDR. BOSII, (r) LVDOV. IOBERTI,



*ad Heraclium numiſmatibus et in lucem editis; eſſeque hunc librum ceteris gemini argumenti operibus longe vberiorem, ac priſca eruditione refertiorem.*

(n) in *Biblioth. Numiſmat. c. l. Sect. 6. p. 41.* qui hunc librum recte *Bibliothecam Numiſmaticam* dici aſſerit.

(o) in *Medico grauiſſimo humanitatis ſtudiorum vindice. p. 66. Hic*, ita de Noſtro, *etſi non omnium primus laudabili prorſus exemplo Germanos veterum numiſmata aeſtimare docuit, inter primos certe, qui in Germania vtiliſſimum iucundiſſimumque ſtudium celebrare coeperunt, merito ſuo referendus eſt, praeclare Romanorum Imperatorum Numiſmata doctiſſimis commentariis illuſtrando, de antiquitatis ſtudioſis meritus.*

(p) Confeſſus hoc HIER. WOLFIVS, qui in laudibus libri, initio praefixis ita:

*Atque vtinam certo procederet ordine tempus*
*Prorſus vt in libro nulla lacuna foret.*
*Sed ſua ſubiiciant alii, haec exempla ſequentes*
*Vnus homo tantum munus obire nequit.*

(q) Admodum iniquus eſt in Occonem Noſtrum, quo tamen toties vſus erat GRETSERVS in libro *de cruce*, vti doctiſſimo ſic maledicentiſſimo in eos, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſum fecerunt, ſtili genere conſcripto, conuiciiſque paſſim ſcatente, quae librum cetera eruditum admodum foedarunt. Non enim vel nomine eum appellare dignatus, Numographi tantum nomine inſignit, et neſcio qua ſuſpicione contra Occonem captus, quod nullam penitus vnquam crucis aut literae ☧ in Conſtantinianis nummis mentionem fecerit, cum alioquin curioſe et ſtu-

TI, (s) EZECH. SPANHEMII, (t) ANSELMI BANDVRII, (u) iudicia, de Occoniano opere quo loco habenda, facile iudicium fieri poteſt.

§. XIIX.

dioſe, globos, haſtas, aras, etc. enotet, id inde eueniſſe temerario iudicio aſſerit, quia ſpiritui Lutherano crucis mentio et veneratio parum grata, parum iucunda ſit. Ita *l. c. T. III. l. 1. c. 6. p. 38.* edit. Ingolſtad. *1608. 4.* quae paſſim ſatis amarulenter repetit *vid. p. 45. 60.* alibique. Sed haec a Ieſuita, non dicam Gretſero, aliter expectanda non erant, nec nos ea refutabimus, id vnicum monuiſſe contenti, ipſo Gretſero indice Numographum Auguſtanum, quem omnibus fere paginis exſcribit, ſignum Chriſtianiſmi, ☧ vti Noſter vocat, attuliſſe, et crucis mentionem feciſſe in multis nummis, non videndis tantum in ipſo Opere Occonis *p. 319. 393.* ed. primae et alibi, ſed et apud ipſum Gretſerum. *p. 45. 60. 62. 66. 67. 70.* En, quo partium ſtudio abripimur! Ceterum hic obiter notamus in *Indic. Expurgator. Madrit.* ANT. A SOTOMAIOR. *p. 5. editionem alteram huius libri permitti, ſi tamen in libri prima facie adſcribatur nota damnati Auctoris et operis cum expurgatione permiſſi: in praeuiis vero poematis laudatoriis ſectariis poematum auctoribus inuratur damnationis nota, videlicet Hieron. Wolfio, Nic. Reuſnero, Nicod. Friſchlino, Dauidi Hoeſchelio.*

(r) Qui in Exerc. *de Pontificatu Max. Imper. Roman. c. II. §. 13. Cauebunt lectores, ne, quod ſaepiſſime fecit Occo, huiusmodi monumenta in tempora non ſua reiiciant.* Ceterum opus ille olim ſupplere et emendare in animo habuit.

(s) Is in *Notitia rei nummariae, p. 59.* Ed. Latinae a Chr. Iunckero editae de Noſtro ita: *Occo, Medicus Germanus in Vrbe Auguſta Vindelicorum primus deſcripſit ea tempora, impreſſo opere Anno 1580. aut 1581.* (1579.) *Antwerpiae: cumque in dies augeri numerus coepiſſet deinceps, alteram adornauit editionem Aug. Vind. 1601. quae omnino meretur laudem. Bene nobiscum ageretur, ſi de nummis ipſis magis fuiſſet hic ſollicitus, neque ita temere credidiſſet catalogis ac deſcriptionibus, quas ipſi ſummiſerunt amici non vbique fidi tamen.* Conf. p. 38. 123. *editionem poſtremam* tamen *commendationem mereri ait,* p. 269.

(t) Diſſ. II. *de Vſu et praeſt. numiſm. p. 90.* Ed. Amſt. qui hallucinationes Occonis in nummis Graecis notat, eique, vt Golzio aliisque, non ſimpliciter fidendum monet; conf. *Diſſ. VII. p. 598.*

(u) Cum vir hic clariſſimus in *Biblioth. nummar.* quam ſummi Viri, IO. ALB. FABRICII curae recuſam debemus. *p. 35.* ſq. quae critico obelo in hoc opere confodi poterant, cuncta digeſſerit, omnino hic audiendus eſt. Ita vero: *Integram numiſmatum Imperatorum Romanorum*

§. XVIII.

Admouerunt itaque emendando operi et perficiendo alii quoque viri docti manus. Et numiſmata quidem ab Occone deſcripta aeneis tabulis Lectorum oculis ſubiicere aggreſſus eſt LEVINVS HVLSIVS, ſed morte praeuentus nihil praeter exile ſpecimen immenſi operis, Imperatorum Rom. Numiſmatum ſeriem a Cai. Iulio Caeſare ad Rudolphum II. reliquit. (x) Aliud itaque auxilium expectabat opus, iſto digniſſimum, quod ferre aggreſſus eſt, FRANCISCVS MEDIOBARBVS, BIRAGVS, S.R.I. Comes et Regiae ciuitatis Papiae decurio. Cum enim Vir illuſtriſſimus numiſmatico ſtudio admodum delectaretur, locupletiſſimoque ipſe inſtructus muſeo et amicorum ſchedis atque cimeliis adiutus eſſet, Raphaëlis Fabretti et Franciſci

*ſeriem a tribus ſummis antiquariis Vico, Lazio et Golzio fruſtra ſuſceptam primus abſoluit* ADOLFVS OCCO, *Medicus Auguſtanus, ſed eam adumbratam magis quam expreſſam, quaeque horum induſtriae deſiderium, ne dum leniret, inflammauit: pro eleganti enim coelatura nudam nummorum deſcriptionem, atque ipſam non admodum, accuratam propoſuit. Cum maximam nummorum partem aliena tantum fide noſſet, factum eſt, vt ex iis perpauci integri deſcriberentur, plerorumque auerſa pars duntaxat exhiberetur, vna cum capitis epigraphe: non nullorum etiam Latinorum et Graecorum Aegyptiorumque ad vnum omnium ſolae inſcriptiones comparerent. In iis collocandis ordinem chronologicum ſeruaſſe videri voluit Auguſtanus Medicus, ſed peſſimo, vt verum fatear, conſilio; primum enim, tametſi aliquot nummi certos annorum, quibus cuſi ſunt, notas praeferunt, plures tamen iis notis deſtitui conſtat, quas aut ſeorſim a coeteris deſcribi oportebat, aut, ſi confunderentur, inſtitutum ordinem ab iis interuerti neceſſe erat. Deinde quos faſtos, quoſue auctores in adornanda Chronologia ſecutus fuerit Occo, fruſtra quaeras, in qua omnia ita perturbata ſunt, vt in nullo opere ſeſe magis prodat ſcriptoris inſcitia et imperitia. Quis enim fando vnquam audiuit Treb. Gallum caeſum A. 257. Aemilianum tamen, Valerianum et Gallienum Anno 254. imperare coepiſſe? etc. ſed cetera Occonis in temporum deſcriptione* παρορχύματα *ſi recenſeam, vereor, ne ea taedium lectori creent; quamobrem hoc vnum monebo, obtrudi illic recentia quaedam numiſmata pro Aegyptiacis, in quibus imperii anni deſcripti ſunt, quaeque eruditos viros complures feſellere.*

(x) *Francofurti* 1603. 8. vid. ANT. BANDVRII *Biblioth. Numm.* p. 40.

ciſci Camelli adhortationibus multum inſtigatus Occoniano operi emendando et augendo manum applicuit, atque *Imperatorum Romanorum numiſmata a Pompeio Magno ad Heraclium ab Adolpho Occone olim congeſta, nunc Auguſtorum iconibus, perpetuis Hiſtorico-chronologicis notis pluribusque additamentis illuſtrata et aucta, Mediolani, 1683. fol.* (y) edidit. Non exhibuit autem Mediobarbus alia, quam Latina numiſmata et coloniarum; reliqua alteri tomo ſeruans, quem intra biennium promiſit, eorumque ſeriei praemiſit ſingulorum Principum effigies e nummis expreſſas a Simone Durello, perito artifice, nec non breuiſſimos de eorum vita commentarios ex Occone exſcriptos, ſed interpolatos nonnunquam et emendatos. Haec chronologico ordine digeſſit, multo accuratius, quam Occo: (z) ſed in eo adornando a Panuinii, Golzii, Baronii aliorumque placitis ſaepenumero receſſit, et faſtos ad nummorum fidem accommodauit. (a) Caeterum Occonianum opus fundamentum diligentiae poſuit, augmenta vero vbique ſtellulis adnotauit, Auctorum etiam nomina appoſuit, ſingulisque annis characterem hiſtoricum ſubiecit, catalogumque addendorum addidit. Poſtquam autem a Magno Hetruriae Duce COSMO III. Coloniarum nummos ex Hiſpania miſſos, et per HENR. NORISIVM deſcriptos acceperat, eosdem Latinis ſtatim ſubiunxit, vt inde quoque ordo in Graecis ſeruandus pateſceret. Addidit quoque indices neceſſarios et vtiliſſimos, partium aduerſarium, quibus Magiſtratus deſcribuntur, familiarum et virorum illuſtrium; coloniarum et municipiorum; Auctorum ac Muſeorum eruditorum, illuſtriumque amicorum, qui ſubſidiariam ipſi in Occone ſupplendo nauarunt operam: praemitti-

(y) Vid. ACTA ERVDIT. *1684. M. Maio. p. 199. ſqq.*

(z) Vid. ANT. BANDVRII *Bibl. Numiſm. p. 60.*

(a) Promiſit vero illuſtriſſimus Auctor, ſe opere impoſterum peculiari faſtos antiquos omnes nummorum atque inſcriptionum beneficio, vt et Noriſii opitulatu reſtituturum. Conf. ACTA ERVD. *l. c. p. 200.*

mittiturque index corrigendorum a Norisio confectus. Graeci vero et coloniarum nummi, quos in altero Tomo dare promiserat, lucem non viderunt, (b) sine dubio quod sine VAILLANTII diligentia (c) incassa esset auctoris opera. In qua laudanda orbis quidem literarius non defuit, habuit tamen, quod in hoc quoque splendido opere iuste desideraret. (d) Tandem in Bibliotheca quoque Viri eruditi *Alexandri le Roy* Parisiis Occonis librum extare monet Cl. BANDVRIVS, (*) in quem addita sunt *Io. Foy Vaillantii* manu numismata Graeca

(b) Verosimile non videri, vnquam hoc opus proditurum in lucem iam diuinauit LVD. IOBERTVS; in *notit. rei numm. p. 269.* conf. p. 54. frustra vero hactenus expectatum dixit ANT. BANDVRIVS *l. c.*

(c) Duobus volum. de Coloniis Latinis, de quibus post Bandurium vid. IOBERT. *l. c.* qui recte addit: *Vix Mediobarbi opus lucem adspiciet prius publicam, saltem non ita perfecte, quam auxilia tulerit ab homine, qui parem cum Vaillantio* (cuius collectionem pro exornando Tomo II. Mediobarbus votis omnibus expetiit,) *museorum cetera superantium in Gallia Italiaque ac reliquis locis, quibus splendida antiquitatis monumenta asseruantur, habeat cognitionem.*

(d) ANT. PAGIVS enim Vir Cl. in *Crit. Baron. ad A. C. 83. n. III. et IV.* sinistram eius in Occonianis nummis diligentiam arguit, quod in iis quaedam haud parui ad Chronologiam momenti mutauit, nec de ea re lectorem monuit, alios omnino omisit, etc. Et IOBERTVS *l. c. p. 84.* in eo aeque ac Occone reprehendit, quod temporis Ordine nummos disposuerint, sicque taedium lectori creauerint, quod eandem multoties repeti oportet imaginem, dum in diuersis licet annis iidem tamen ac maxime vulgares typi occurrunt. ANT. BANDVRIVS vero *l. c.* cui et ipsi ordo Chronologicus displicet, et difficultatibus non carere videtur, id inprimis in Mediobarbo notat, quod et ipse grauiter errauerit, aliosque in errorem induxerit, quod certas annorum notas videre sibi visus est, in literis singularibus, quae in imo nummorum saeculi Diocletiani margine leguntur; quod non maiori diligentia ac Occo suos nummos descripserit, et non raro peccauerit, dum finem operi festinato ponere nimis properaret: quod quaedam in chronologia Occoniana mutauerit, lectore non monito: quod, quae de numismatibus coloniarum et municipiorum attulit, post Vaillantium nunc vix legi mereantur: quodque tandem notae et rarae appareant, nec admodum commendabiles videantur. Haec de gentili suo Cassinensis Monachus.

(*) in *Bibl. Nummar. p. 149.*

ca integra haud pauca in foliis a libro disiunctis, praetereaque, (**) si quid ab Occone in iis nummis, quos exhibuit, erratum sit, id in ipso libro restituit; nihil vero tale lucem hactenus vidit. (***)

§. XVIII.

Alterum, quod antiquitatis studio erexit Occoniana eruditio monumentum, sunt: VIII. *Inscriptiones veteres in Hispania repertae, ab Adolpho Occone Medico Augustano collectae, digestae, et nunc primum in lucem editae, Basileae, MDXCII. fol. mai.* (e) Ope-

(**) Vid. *Nou. Lit. Germ. 1730. P. II. n. LXXIV. p. 622. seq.* Ceterum dudum ista scripseramus, cum afferretur ex splendida Palatinorum Mediolanensium typographia noua operis Mediobarbiani siue Occoniani editio, diu multumque desiderata, obstetricante potissimum PHILIPPO ARGELATO; qui exemplar a Mediobarbo et filio auctum admodum, ex bibliotheca illustrissimi *Petrusati* Comitis nactus, cui aliud quoque non minoribus augmentis turgens accesserat, de noua editione cogitauit, typothetarum errores sustulit, numorum imagines affabre sculpi curauit, et FRANCISCO MARIA BIACCA, Parmensi, V. C. opem commodante, chronologiam restituit, qui et doctis obseruationibus opus auxit. Ita prodiit hoc ornatum titulo: *Imperatorum Romanorum numismata a Pompeio M. ad Heraclium, ab Adolfo Occone olim congesta, Augustorum iconibus, perpetuis historico chronologicis notis, pluribusque additamentis iam illustrata a Francisco Mediobarbo Birago S. R. I. Comite, et Regiae Ciuitatis Papiae Decurione, nunc vero ab innumeris mendis repurgata, ac S. Caes. et Reg. Cath. Mai. Inuictissimi et Clementissimi* CAROLI VI. *Rom. Imp. semper Augusti exhibita, additionibusque vsque huc desideratis, criticisque obseruationibus exornata curante Philippo Argelato, Bononiensi; Mediol. ex aedibus Palatinis, 1730. fol.* Ceterum quod Iobertus recte praesenserat, idem iam docet Editor: nactum se ea, quae de fastis Romanis numisque Graecis collegerat illustrissimus Auctor, tradita sibi ex Bibliotheca S. Petri Mediolanensi: sed tam imperfecta ea esse, vt vix in vsus publicos aliquid conuerti inde queat.

(***) Ab ipso Occone amplissimos Commentarios in Numismata Imperatorum relictos esse, eosque αυτογράφας cum multis Nostri epistolis in manibus Eruditi cuiusdam Viri Basileae nunc degentis versari, ab ipso illo quondam edoctus nos docuit Vir Clarissimus, nobisque amicissimus IO. GEORGIVS LOTTERVS. De istis tamen Occonianis reliquiis per amicos Heluetios nihil expiscari nobis licuit.

(e) ex officin. H. Commelini, pl. 10.

Operis hortatorem et ἐργοδιώκτην habuit Occo illuſtriſſimum virum, MARCVM FVGGERVM: (f) Comitem in Kirchberg et Weiſſenhorn, S. Caeſ. Mai. Conſiliarium, et Reip. Aug. Duum Virum, optimum eruditorum Patronum, qui noſtro AMBROSII MORALIS, Hiſpaniarum Regis Philippi Hiſtorici, libros tradidit, ex quibus plerasque deſcripſit, quasdam vero ex *Apiano*, quas aliunde habere non poterat, adhibuit, iis, quas ab Amicis, qui earum αὐτόπται fuerunt, acceperat, additis, inter quas ipſi illuſtriſſimo Comiti in itinere Hiſpanico animaduerſae quoque occurrunt. Eas per ſemeſtre propter inſignem vtilitatem praeſertim in interpretatione nummorum Augusti Tiberii et Caii Imperatorum, a quibus coloniae magna ex parte in Hiſpanias deductae ſunt, collegit, diſpoſuit et edidit, applaudentibus viris celeberrimis, Ioanne Poſtio, Franciſco Modio, Iacobo Cellario, Ioanne Ortelio, Michaele Findio, et Ioanne Fabro. (g)

§. XIX.

Monumenta haec ſunt ſeculi, quo Occo vixit, ornamentum futura aeternum, quibus celeberrimum ſibi nomen vir optimus fecit, vnde quae eruditio et diligentia eius fuerit abunde liquet. Quam eo magis mirari licebit, quia Occo valetudine fuit admodum infirma, et a longo tempore aſthmate imprimis laborauit difficillimo, (h) quae tamen valetudinis ratio



tantum

(f) Cui etiam librum Noſter inſcripſit.

(g) Scripſit tamen dedicationem Anno 1585. XI. Cal. Iunii, adeoque ſeptennio demum poſt edendi copiam datam eſſe coniicere licet. Extat quidem et altera editio, anni 1596. in qua vero adeo plane nihil a prima editione mutatum, praeter annum, vt verba quoque: nunc primum in lucem editae, ſeruata ſint, typographuſque ſolum annum nouitatis gratia mutaſſe videatur.

(h) Cuius varia indicia in *Epiſt. Geſnerianis* occurrunt, imprimis vero *p. 56.* vbi Geſnerus: ἐν ταύταις μὲν οὖν σχεδὸν περὶ τῆς ἐπικινδύνου καὶ σφαλερᾶς τῆς κατὰ τὸ σῶμα καταστάσεώς σου ἐπληροφορήθην μετὰ πλείστης γε λύπης κ. τ. λ. *in illis litteris de periculoſa tui corporis conſtitutione certior factus ſum non ſine magno meo dolore*; et p. 57. eadem repetit, dolo.

tantum abeſt, vt illius animum fregerit, vt potius ſanctiſſima et optima philoſophia, quae eſt mortis meditatio, eum gnauiter impulerit, quam vbiuis quoque pie non minus, quam eleganter teſtatam fecit. (i) Viſum tamen fuit ſupremo Numini vitam ei largiri longaeuam, quam ſcilicet ad annum MDCVI. vsque produxit, quo, die XXVIII. Septembris (k) octua-

remque ob affectum aſthmatis ſuum teſtatur, quem ex nimis crebro, occaſione viſitationum pharmacopoliorum, deguſtatis omnis diuerſique generis medicamentis ſibi contraxiſſe, recte eum ſuſpicari addit; paria et alibi p. 49. ſq. occurrunt, ſcripta anno 1564. adeoque plusquam quadraginta ante eius obitum annis. Sic et HIER. WOLFIVS in fine *praefat. Sylloges auctor. Graec. de doctrin. recte viuendi et moriendi*, ſupra memoratae: *Iterum vale et aſthmati tuo fortius repugna, quam ego τῇ καχεξίᾳ totius corporis, Id. Octobr. 1575.* Fuit itaque, communi eruditorum ſorte, Occo valetudinarius, apud quem tamen prognoſis Geſneri, quam ipſi l. all. perſcripſerat, euentui vtique reſpondit, cauſariorum ſcil. vitam plerumque eſſe protractiorem. Equidem nimis curioſum eſſe parumque referre videtur, vt anxie hic diſquiramus, quaenam aſthmatis ſpecies, an humidum, an ſiccum, an conuulſiuum, an pectorale, an ſtomachale, an hypochondricum, an flatulentum, fuerit? atque num frequens medicamentorum ope guſtus facta exploratio talem morbum inducere queat? Sin tamen coniecturis locum dare, atque extra oleas pauliſper vagari liceat, ea nobis ſtat ſententia, laboraſſe Noſtrum aſthmate ſicco ſpaſmodico, quia, ſi humidum fuiſſet, abſque dubio excretionis mucoſae facta eſſet mentio. Cauſam allegatam, quod attinet, vtrique et Occoni et Geſnero omni iure ſubſcribimus, probe penſitantes, medicamenta tum temporis fuiſſe tantum non omnia Galenica, h. e. cum melle et Saccharo parata. Dulcia vero, (qualia poſt modum ipſi etiam morbo iamdum praeſenti oppoſuiſſe, nulli dubitamus, atque e materia medica tunc vſuali coniicimus) congeſtiones ad pectus inuitare, adeoque affectus aſthmaticos gignere ac fouere, eademque tonum ventriculi et inteſtinorum labefactare, laudabile digeſtionis et chylificationis negotium turbare, atque inſimul aſthmati ſtomachali, ſicco, imo, ſi placet, etiam flatulento, viam ſternere, nemo Medicorum inficias ibit.

(i) Specimen huius ſupra adduximus, et in libris eius editis vbique in limine vel fine pie conſpiciuntur, cuius vel ſolae Inſcriptiones teſtes eſſe queunt.

(k) Teſtibus Tabulis Genealog. quas ſupra quoque expreſſas dedimus; vt vero *Matricula, et Protocoll. Coll. Med.* illud *p. 79.* hoc *T. I. ab initio*

octuagenario maior pie obdormiuit, animamque toties Deo traditam paternae eius curae concredidit, humanitatis exuuiis in templo D. Annae, vbi viuus sibi epitaphium fecerat, (l) conditis.

§. XX.

Haec sunt, Lector Beneuole, quae de *Occonum* familia, et Virorum celeberrimorum triga memoranda fuerunt. Id admodum dolemus, nobis non visam fuisse epistolam Occonis III. quam ad *Gesnerum* de familia rebusque suis scripsit. (m)



Suffi-

refert, die 27. Sept. Errant itaque in anno Nostri emortuali, ADAMI, in *Vit. Med. p. 117.* HANCKIVS *de Rom. rer. script. P. I. c. 78. p. 262.* KOENIG. in *Biblioth. p. 583.* QVENSTAEDT. *de patr. illustr. vir.* PAVL. FREHER. in *theatr. p. 1318.* IAC. BVRCKARD. in *medic. hum. stud. vind. p. 66.* et LEXICON *Vniuers. Histor.* voce *Occo*, qui Annum MDCV. assignant, eumque octogenarium faciunt, cum annos 82. diebus 19. exceptis, vixerit.

(l) Hoc est: ADOLPHVS. OCCO. A. F. A. N.
MEDICVS. REIPVB. AVGVST.
HOC. SIBI. MONVM. V. P.
VT. IN. EO.
CVM. VXORE. AC. LIBERIS.
AD. EXTREMVM. VSQVE. IVDICII. DIEM.
MOX. ADFVTVRVM.
MORTVVS. QVIESCERET.
TV. VIATOR. QVISQVIS. ES.
QVIETI. LOCVM. NON. INVIDEAS.
VALE. ABI.

*Qui fuit aeternae Christus mihi causa salutis*
*Exuuiis rursus vestiet ossa meis.*
*Eiusdem reditu mihi vita salusque paratur*
*Interea tumulo molliter ossa cubent.*

vid. DAN. PRASCHII Epitaph. August. P. I. p. 137. et MELCH. ADAMI. l. c.

(m) Ita enim GESNERVS in literis ad Nostrum Maii die V. Anni 1565. Quae de familia vestra, parente et auo scripsisti, ea me plurimum oblectarunt. Inter Gesnerianas vero epistolas nonnisi vna ab Occone scripta, eaque Graeca occurrit. Inquirendum itaque vbi locorum epistolae ad Gesnerum scriptae lateant? Ante mortem Bibliothecam suam Casp. Wolfio, M. D. et Prof. Tigurino vendidisse refert MELCH.

Sufficiunt tamen haec ad aſſerendum patriae, quae tantos viros genuit, educauit, nutriuit, euexit, honorem, et afferendam ad eius hiſtoriam literariam ſymbolam, quam potiſſimum Viri Generoſiſſimi, qui potiora ſubminiſtrauit, beneuolentiae acceptam referes, eique bene mecum precaberis.

---

# EPIGRAMMATA
# IN OCCONVM INSIGNIA,
## AVGVSTAE VINDELICORVM ↀↄIↄcI.
### AD
### INSIGNE PINVS PRIMVM EDITA,
### ET
### ILLVSTRANDO PARAGRAPHO V. CAPITIS III.
### INSERVIENTIA.

HVnc tua promeruit virtus inſignis honorem,
  Quem tibi, quemque tuis Caeſar, Adolphe, dedit.
Caeruleo in clypeo magni Iouis armiger alis
  Aureus expanſis ad ſupera alta volat.
Aureaque Eois decorata corona lapillis
  In ſummo galeae vertice clara micat.
Non magis apta dari poterant Inſignia vobis,
  Conueniunt generi talia dona tuo.

Regia

ADAMI, in vitis Medic. p. 68. Wolſiumque Geſneri Bibliothecam herbariam et opera botanologica imperfecta Ioachimo Camerario vendidiſſe. ib. p. 157. Num itaque vel apud Wolfii vel Camerarii haeredes deliteſcat, ipſi, quod rogamus, indicent. Tiguri tamen nihil eiusmodi latet; immo, vitam quoque Conradi Geſneri a Celeberrimi nominis Viro IO. IAC. SCHEVCHZERO conſcriptam, in quibus multa Occonum hiſtoriam illuſtrantia occurrebant, intercidiſſe, merito dolemus.

Regia ſicut auis nitidi templa aurea caeli,
Sublimi virtus ſic petit aſtra via.
Denique ceu fuluo nihil eſt precioſius auro,
Nil oculi gemmis pulchrius aſpiciunt:
Sic virtute nihil precioſius et mage pulchrum,
Quae merito a ſummis praemia fert Ducibus.

IOHANN. POSTHIVS,
*Archiater Vuirzburgenſ. f.*

---

IMperatorum veterum monetas,
Caeſarumque vetuſtioris aeui
Laminas, priſcae monumenta Romae,
In lucem ſtudioſe mittis Occo.
At tibi contra nouus Imperator
Dat inſignia Maximillianus,
Aureae dignos Aquilae volatus,
Geſtamen celebri perenne genti.
Praemiis virtus decoratur. Ecquid
Poſcis amplius, vt beeris, Occo?

P. MELISSVS.

---

*In inſignia et librum numiſmatum Adolphi Occonis,*
*Albertus Mellemannus, Berlinenſis.*

ESt aquila vt cunctas inter regina volucres,
Et gerit arma Iouis, nec non caput inſerit aſtris,
Cum ſublime volans tenuem ſecat aëra pennis,
Inque tuos radios fixis, o Phoebe, tuetur
Luminibus, medicos ſic eminet inter Adolphus
Occo vir excellens, vrbis decus et decus orbis:
Palladis arma gerens, omnes et Apollinis artes,
Carminibusque potens, morbosque leuantibus herbis,
Hiſtoriaeque libris iactatus in omnibus, in qua
Nil queat ipſius praeſtringere, fallere, ocellos,

Hinc

Hinc aes ſignatum, veterumque numiſmata pandit,
Resque perobſcuras in lucem ponit apertam.
Macte vir ingenio, ſcriptis et macte diſertis.
Quae laudes famamque tuam ſuper aethera tollunt.
Iure tuis igitur Iouis ales vibrat in armis
Eleuat et ſurſum geminas, quibus euolat, alas.
At, quia Principibus vitam tua ſcripta propagant,
Dum fatis functi per te reuocantur in auras,
Ipſorum dum ſigna refers veteresque monetas,
Amplificandus eras noſtris a regibus auro,
Et noua pro veterum reddenda moneta monetis:
Suppeditet licet iſtarum tibi copia rerum
Ex animique tui fibris amor abſit habendi:
Virginis ingenuae quod frons et pectus apertum
Atque caput ſapiens, redimitaque tempora laurum
In galea oſtendunt: Quo quisque modeſtior eſt, hoc
Amplis fortunis quoque dignior eſſe videtur.

✲ ✲ ✲

QVi Iouis armigerum, galeam, aureolamque coronam,
Et nudae pectus virginis ora vides:
Si neſcis, dicam: ſunt haec inſignia Adolphi
Occonis, quo vix doctior eſſe poteſt.
Vt regalis auis reliquis caput altius effert:
Expanſisque alis ſidera ad vsque volat:
Nec ſenio moritur: nec fulmine tangitur vllo:
Ipſa ſibi vitam ſed renouare ſolet:
Arte Machaonia claros ſic vincit Adolphus:
Et virtute parat ſidera ad alta viam.
Semper et ipſius laudes nomenque vigebit,
Non metuens linguam, Mome proterue, tuam,
Et cancellato casſis velut ore refulget:
Sic Occo vera nobilitate nitet.

Et

Et nihil vt rutila gemmis auroque corona:
  Sic nil doctrina pulchrius esse potest.
Denique ceu virgo lauro redimita virenti,
  Vere animum castum, castaque facta notat:
Sic sceleris purus, vitaeque est integer Occo:
  Et mores castos, castaque facta probat.
Conueniunt igitur tibi pulchre insignia Adolphe
  Quae tibi maiestas Caesaris alma dedit.
Viue diu venerande senex: et vt arte Galenum
  Aequiparas: annis sic etiam aequipares.

GEORGIVS CLEMINIVS, I.V.D. &c.

---

Σῶμα θεραπεύειν φροντὶς μία πλείοσιν ἄλλοις,
  Σοὶ δ' Ὄκκων πρώτη, τὴν φρένα σῶαν ἔχειν.
Οἶσθα γὰρ ὅττι μάλισθ', ὑγιὲς ψυχῆς μὴ ἐούσης,
  Πᾶν τὸ νόσημα φιλεῖ τοῖσι βροτοῖσι βρύειν.

Corporibus multos tenet vnica cura medendi,
  Cura prior sanae mentis at, Occo, tibi est.
Cernis enim si non sit mens sincera, trahatur
  Corporibus labes omnis vt inde mali.

D. HOESCHELII.

---

Ἀνωνύμου.

QVam mihi laureolam Caesar facilesque dederunt
  Pierides, nitido semper honore viret.
Me Padus et Tibris nouit, me Sequana nouit,
  Me Tagus et celeri Sarmata victor equo.
Non mea Germanum sibi me Germania ciuem,
  Vendicat, atque suum Lycus et Ister amant.
Musa dat aeternos veris cultoribus annos,
  Quam patiuntur opes, nomina morte carent.

---

*Elegia Marci Heningi, A. V.*

POnimus an magnis inter credenda Poëtis,
  Quod quadrent rebus nomina saepe suis;

Insit equis patrum quod virtus atque iuuencis,
Quaeque fide vates cetera digna canunt:
Et sine mente geri credes Insignia, quae quis
Seu sibi seu patribus, seu data gestat auis?
Haud sine mente quidem? quin nec sine numine Diuum;
Quo mage praeferri talia signa scias:
Tertius, en tibi, quae signacula gestat ADOLPHVS
Haud aliis notus verius Occo notis.
Cernis, vt exsurgens pansis Iouis armiger alis
Aureus, affectet, praepes ad astra viam:
Cernis, vt ostendat pulchro se pectore Virgo,
Conspicuum lauro Virgine cincta caput:
Denique praesigni gemmis auroque corona,
Cernis, vti circum sit data cassis hians.
Haec vt conueniant Occonum stemmata genti,
Nil, exempla canam cur aliena, mouet,
Si iuuat exemplis ipsos aequantibus vti.
Haec quid ab hac ipsa sumere gente vetat?
Sic tamen, vt nudis norim mihi rebus agendum,
Ceu si quis summam de mare carpat aquam.
Sic hominum vitas primus cum porgeret Occo
Aetheris excelsum capit Adolphus iter;
Austriaci solitus, dantis tum iura Tiroli,
Sigmundi fatis amplificare moras;
Alciati notus tibi, Peutingere, sodali,
Notus amicitia Capnio magne tua:
(Atque suis noti virtutibus, hisce duobus,
Nescius an Musis deditus vllus erat?)
Nominibus, iuxtaque patri fuit arte secundus,
Et fama summum non metuente diem;
Qui te, quod nobis hodierne reliquit Adolphe,
Vel satis hoc solo nomine perpes erit:
Claruit at patria quoniam, ceu diximus, arte,
Sic quoque mansurus funera nulla timet.

M Iam,

Iam, tu ſublimi quam ſidera vertice tangas,
   Tertia res, Occo, poſcit, Adolphe, loquar.
Iuuit auum te nominibus patremque referre,
   Iuuit eis Medicis artibus eſſe parem.
Nulla tibi dement tam laetas ſaecula laudes,
   Laudibus aggrederis quas cumulare nouis:
Non modo, dum Medico loqueris digniſſima Phoebo
   Vnde paret fidam, ſcribis et, aeger opem:
Sed tibi dum Romana placet, dum Graeca vetuſtas,
   Et veteris cultus aureus ille lepos:
Nec longe teſtes, Romana numiſmata, quaero,
   Heſperiosque, quibus gaudet Iberus agros.
Hac te cultura (ſola prope vindice conſtat
   Qua, ſuper eſt nobis qui modo cunqua nitor;
Qua ſine barbaries iterum reddetur arenae,
   Qua ſine doctrinae concidet omnis honor)
Hac te cultura, felicis ab indole mentis,
   Inſignem ſemper poſtera turba colet:
Vt coluere, quibus, donec vixere, placebas;
   Vt, quos fata iubent nunc ſupereſſe, colunt:
Omnes florentes ſtudiis felicibus, omnes
   A grata digni poſteritate coli.
Tertius Occones Medius ſed vt inter Adolphos,
   More tui patris, more vocaris aui;
Tertius Auguſta ſic et diceris in vrbe
   (Quam Vindae, rapidi quam rigat vnda Lyci)
Inter eos quos pulchra iuuant, ornantia Romam,
   Roma triumphati dum caput orbis erat;
Auguſtae, primus quae PEVTINGERVS amauit
   (Ille tui quondam dulcis amicus aui)
Alter ab hoc, ſolo ſed Tempore, credit amore,
   Credat et aeternum, talia digna ſuo,
VELSERVS, qui nunc patriae ſiduſque caputque
   Aeternum, tali mente Duumuir erit:

Tu, fas pace tua mihi dicere tertius audi,
Indole qui docili tanta decora probas.
Quo volo perueni. Quis iam tua ſigna putabit?
Non ſatis apta tuis, non ſatis apta tibi?
Occones acies prouexit in ardua mentis,
Impiger Occones duxit ad alta labos.
Sobrietas, arteſque bonae, candorque, pudorque
(Virgo caput lauro quod redimita docet)
Occonum gentem re non auxere pudenda,
Gentis ineſt armis aureus vnde color;
Cincta ſed ex auro facto diademate caſſis
Nobile Caeſareum munus aperta notat:
Virtutis, quanquam ſibimet pulcherima merces
Ipſa ſit, eſt ſocius nempe frequenter honos.
Aſt aquilae, praeter tibi cetera dona, ſenectam
Tertie, munificum numen, Adolphe, dedit:
Symbola quo magis haec tibi praepes idonea praebet,
Annis, et meritis, ac pietate, graui.
Ergo perennis eris ſcriptis aliiſque tuiſque,
Non minus, ac pater eſt, atque perennis auus.
Tu vero, qui, parte tui potiore, futurus
Es ſimul in coelis, eſque ſuperſtes humi;
Haec, mihi nec docte, nec more, nec ordine ſcripta
Conſulito facilis carmina, quaeſo, boni.
Sic tibi, quae ſuperant, aeui tranquilla ſenilis
Tempora propenſus donet habere Deus:
Sic tibi det ſaluo dignam te cernere prolem,
Sic tibi te digna poſteritate frui:
Iuſſerit ac animas in corpora quando reuerti,
Annuat aetherium, ſic, ſine fine polum.

XI. Calend. Sextil. A. N. S. 1601.

*In effigiem et insignia Occonis Iacobi Cellarii.*

Corporis effigies haec eſt, quam cernis, Adolphi
Occonis, magni qualibet arte viri.
Hanc manus artificis potuit depingere ſolers:
Aſt animi dotes pingere nemo poteſt.
Sed tamen inſignis pietas, virtuſque probata
Perſpecta eſt cunctis, docta per ora volans.
Ingenium excellens libri teſtantur abunde,
Quos prius in lucem ſedulus ille dedit.
Hoc etiam teſtatur opus, quo nunc renouantur
Induperatores, maxima Roma, tui:
Quo varii illorum nummi certo ordine habentur,
Et Noua Romanae lux venit hiſtoriae.
Hinc merito tribuit tibi nobilitatis honorem,
Praemia virtutis Maximus Aemilius.
Hinc clypeus ſplendet Iouis alite, caſſis aperta
Quem premit, et lauro frons redimita viret.
Quid volucrum regina ſuas exporrigit alas?
Et rutilo ſcuto clauſa volare cupit?
Ad ſolem rectos conuertit nempe volatus:
Penna vt ſydereum praepete carpat iter.
Solis amat radios feruenter: hoſque tueri,
Propter eaque oculos non hebetare ſolet.
Arma tuae genti ſunt haec valde apta: medendi
Artes quae ſumma dexteritate colit.
Sol vel Apollo ſacer Medicorum praeſes habetur:
Quod ſplendore ſuo gramina odora fouet:
Vnde renaſcantur variis medicamina morbis,
Cum ſolerte manus conficiuntur ope.
Horum tum vires Medicus perquirit: et acri
Penſitat effectus ſedulitate bonos.
Aduertit, quando generet Sol cuncta: viciſſim
Quando ſua lucens integritate beet.

Hoc ſtudium eſt firmum, nulloque labore faceſſit:
Sed radiis veri lumina mentis alit.
Hinc galeae impoſita eſt Laudis gemmata corona:
Explicitae quam alae, famaque in orbe vehunt.

LAVINGAE.

---

ADOLPHVS OCCO

ανχγϱ.

*Chous do, placo.*

HIppocrates, medicus cur dicitur arte medendi?
Atque artis famam qua ratione parat?
DAT medicas herbas, atque aegros PLACAT: vtrumque
Eſt medici officium, ſi valet arte, boni.
Hinc quia DO medicas herbas: feliciter aegros
Dum PLACO: cur non CHOVS habebor ego.

IOHANNES ORTELIVS, *F. Lauingae.*

---

Ἀναγϱ.

ADOLPHVS OCCO

PLVS HOC, DA COO

*Ioannis Wackeri a Northauſen, cIↄ Iↄ XCV. 12. Aug.*

NVper vt APPOLLO, qui praeſtans arte MEDENDI
Mortifera releuat corpora multa lue
Auguſtum AVGVSTAE, praeclari Nomen ADOLPHI
Audiit OCCONIS, factaque vidit, ait:
HIPPOCRATES COVS medica nonne Arte reuixit?
Anne alium nobis TEVTONA terra dedit?
Nomine mutato num COVS dicier OCCO
Vult? vel ADOLPHVS hic eſt qui praeit HIPPOCRATEM?
Fallor, ſi poſſint DI falli: TEVTONVS OCCO
Non eſt: Sed COVS viuidus HIPPOCRATES.
Sint quotquot veteres Medici, ſint quotque recentes,
In COO OCCONE hoc ſtat MEDICINA meo.
Et non immerito: Nam Patrum et ſtemmate auito
Hoc medicum noſtrae poſſidet artis opus

IVP-

IVPPITER HIPPOCRATI rediuiuo, quaeso, iuuentam
Dona PHOENICIS, NESTOREOSque dies:
Et PLVS HOC, COO DA OCCONI: Munere ADOLPHVS
Dignus erit: Quouis munere dignus erit.
Vos PARCAEque simul rediuiuo parcite COO,
OCCate OCCONIS nec sua fila Colo.
Inde venit vobis, vt quisquis iactitet ore:
Parcere PARCARVM iam didicere manus.
Dixit: Et aethereas celeri pede scandit ad Arces
Annuit et precibus IVPPITER et LACHESIS.

---

Τετράστιχον.

NOminis hoc Anagramma tui quod Carmine Musae
Flumine Gorgoneo dentque dicentque tibi.
Accipe Apollineae lumen pernobile turbae,
Et nos, et Musas perge iuuare. Vale.

I. VV. Fac.

---

CL. V. D. AD. OCCONI, AD. F. AD. N.

*Amicitiae tesseram relinquebant Cunr. Rittersh. εὐχαρις ξένος.*

CVm Camerariadem Parca in sua iura vocaret,
(O perpeti vita frui dignum virum!
O natum magno dignum patre, mîque parentis
Loco colendum vt ipse me in nato loco
Dilexit, dum vita fuit;) mihi stamina vitae
Sensi secari Parcae eadem forfice.
Vix adeo, vix vmbra mei superare videbar,
Et corpore amisso ipse me requirere.
Nunc noua deposito conclamatoque recurrit
Mî vita, membris et vigor se pristinus
Insinuat, Camerariades mihi dum ipse superstes
Sibi, reuixe in te videtur, optime.
Phoebigenae venerande chori symmysta, cui omnis
Adsurgit eruditus ordo pellubens.

Par

Par amborum animus, velut ars, probitasque, fidesque,
Hoc rara seclo, orbis maligni transfuga.
Salue Asclepiadum par nobile, Tu incola caeli,
Et Caelitum tu vitam, Adolphe, in terra agens:
Sic ego vos ambos veneror, ceu menti vtriusque
In nostri amorem amica conspiratio est.

*Augustae Vindelic. cIↃ. IↃ. Ic. IV. Augusti.*

---

SAncte senex melius quo nil Augusta tuetur;
Doctius et cernit, candidiusque nihil:
Da veniam MODIO totiens, nimiumque molesto;
Quid quid id est nostris imputa et omne malis.
Neu benefacta vagis reris ludibria ventis
Esse tua; haec quondam Fama loquetur anus;
Narrabit seris et grata nepotibus olim.
Quam me saepe tuo iuueris auxilio:
Quippe canam memori semper te carmine, donec
Ipse meae dominus mentis et oris ero.
Interea facilis tibi Tempora longa senectae
Detque frui optata conditione Deus;
Horaque cum veniet quae te caelestibus addet
Ordinibus, placido claudere fine diem.
Est aliquid vixisse bene et sine crimine; summum
Est bene, ADOLPHE pie et sed potuisse mori.

Faciebat Augustae Vindelicorum
XIX. Octobris M. D. XCII.
*Nomini, pietatique eius deuotissimus*
FRANCISCVS MODIVS, *Brug.*
*Ariensis Canonicus.*

---

*Pandulphus Adulpho.*

POllice fulgebit medio mihi, gratus Iaspis,
Esse iubes quem tu dulcis Adulphe meum:
Argumenta feram non contemnenda? sed ingens
Hoc nostri pignus semper amoris erit.

Quin

Quin etiam vitae monitrix mihi gemma manebit
  Signa gerens docta mystica facta manu.
Namque ea quam cernis nudam recubare puellam,
  Quae cupidam toto pectore captet auem!
Non vanus vates, non hanc temerarius auctor
  Exsculpsit; maius sed latet intus opus.
Quoque magis credas veteris miracula facti,
  Et causam, et sacrum concipe consilium.
Vel fatis compulsa deum? vel sponte? refugit
  Complexum veri Laeda superba Iouis:
Sed blande infelix capitur candore volucris
  Et cantu, ad summum quo valet ille diem:
Huius ab amplexu geminum mox parturit ouum:
  Et gemina e primo prodiit ante soror:
Cortice ab alterius Fratres prodiere gemelli,
  Quos caelo dignos fecimus atque deos.
Faemina prima virum falsa sub veste peremit:
  Altera sed Troiae contulit excidium:
Alter equis fratrum: Pugnis fuit inclytus alter;
  Hos etiam alterna viuere morte putant:
Fabula dicta tibi est: sed nunc mysteria pandam
  Quae doctis vatum mentibus esse putem.
Mens hominum Laeda est: verum fugit illa: Voluptas
  Occupat: Haec Volucris: Iuppiter illud erat:
Errorem parit ergo? Soror cui iuncta Cupido est:
  Illa viris pestes: Haec parit exitium:
Natorum, Pollux intelligit, appetit alter:
  Ille celer: Perstans hunc sua pugna quatit.
Dum superat saeuae mentis vaesana Cupido,
  Egregium cessat tunc Rationis opus:
Contra intellectus, si concidat appetitus,
  Efficit: Alternos dicimus inde mori.
Sed quando ad nostros actus primordia praestant?
  Hos ideo nobis diximus esse deos:

Quatuor vnus item partus ſimul edidit? Hoc eſt:
Vna bonum genuit; Vna malumque dies.
Cur tamen ex ouis geniti, ſi forte requiris?
Sic hominem, mixtum nunciat eſſe genus:
Archetypum ſic monſtrat opus? demiſſaque coelo
Semina, terrenis indice corporibus.
Qua conſtant elementa etenim, dant oua figuram;
Et genitale animae ſic quoque ſemen habent:
Et quoniam cordis retinent, ſedemque cerebri;
Oua illis tantum bina fuiſſe ferunt.
Mortales igitur miſeros, quod cauſa malorum
Mens ſibi ſit proprio crimine, Laeda monet:
Namque vbi deſpecto volucris Ioue, blanda voluptas
Incubuit, vitae commoda perdidimus.

DOnaſti Iaſpidem nobis Adulphe, in quo ſcalpturae argumentum eſt, Laeda Cycnum excipiens: rogaſtique ſigni et fabulae myſterium, quodnam eſſe potiſſimum putarem. Nihil quicquam tum ſubiit quod dicerem: Verum dum praeteritae noctis maximam partem inſomnem duco: Laeda continuo nobis occurrit. Myſterium itaque cogitans, non aliud coniectura aſſequi poſſum; quam quod his verſibus expreſſi. Quos quoniam poſt longum carminis intermiſſionem, et propere nimium edidimus, non probabis ſcio. Neque ego id magnopere contendo, vt probetur: Rem ipſam, et ſenſus accipe: ſi qua etiam ſyllaba eſt quae ſubſultet, adnotabis. Eos poſtea, cum Hala rediero ſimul corrigemus. Vale, mi Adulphe.

PANDVLPHVS TVVS.

# HYGEA AVGVSTANA
SEV
# MEMORIA SECVLARIS COLLEGII MEDICI AVGVSTANI

*Scripta a*
LVCA SCHROECKIO, Luc. Fil. Med. Doct Rei Publ. Patr. Physico, et S. R. I. Acad. Cur. Adiuncto.

*A. O. R. M. DC. LXXXII.*



Rtes agitare mutas ingloriasque licet Medici dicamur *Maroni*, lapidem vulneri fortissimi Troianorum Herois, Aeneae, medentem, *Lib. 12. Aeneid.* sic depingenti:

*Scire potestates herbarum, vsumque medendi*
*Maluit, et mutas agitare inglorius artes;*

idque in contumeliam Medicorum ab iis, qui ioco serioue beneficis vitae humanae Conseruatoribus insultare aut maledicere consueuerunt, vrgeri saepe soleat; id tamen, missa aliorum interpretatione, comparatione solum facta cum Augurandi arte, magno tum in honore habita, nec non Poësi, ipsi *Virgilio*, vt caeteris melioris notae Poëtis, plurimum gloriae conciliante, inque publicis hominum conuentibus se ostentante, eiusue sorore Musica, sonora sua melodia aërem auresque implente, *Mantuanum Poëtam*, Romanorum suorum mores intuitum, cecinisse, eruditiores iamdudum obseruarunt. Medica ergo ars per me dicatur muta, quae saluberrima dona sua non tam lingua, quam ipso opere, non in foro et hominum concionibus, sed intra angustiores cubiculi parietes ad aegrotantium lectum distribuit; quae morbos, vti *Celsus* loquitur, non eloquentia curat, sed remediis; quae in genuinis filiis verborum ampullatorum et sesquipedalium gloriabundam iactantiam repudiat, inania vasa maxime tinnire, et quibus minimum est scientiae, hos esse loquacissimos, reputans: omni tamen voce non esse destitutam,

vt variorum per muſicam credita morborum curatio aliaque iam tranſeant, ipſo eius exercitio docemur, non tantum morbi naturam exponente, eiusque euentum praedicente, ſed genuinum etiam remediorum apte propoſitorum vſum edocente, blandioribus verbis aegrorum dolores, curas, moleſtias demulcente, variisque aliis modis in ſermone, iuxta requiſitum Hippocraticum *Lib. 6. Epidem. ſect. 4.* gratioſum ſe praebente. Fuerit antiquis illis temporibus Ars noſtra ingloria, nunc, cultioribus ab ingeniis excultam, maiori in cultu haberi nouimus. Et ſane ea tum temporis Romae erat infelicitas, vt, qui eam exercebant, omnes fere, pauciſſimis exceptis, vel Graeci, vel ſerui etiam fuerint; illi quidem non tam artis dignitati et penitiori cognitioni, quam propriae vtilitati addicti, nec vnam ob cauſam plurimis Romanorum inuiſi atque ſuſpecti: horum autem vilior conditio nullam gloriae laudem admiſerat, imo et non tam Medici, quam Medicorum ſerui, ad vilia officia damnati exſtiterunt. Senſim vero ad eum dignitatis gradum poſtea exaltatam fuiſſe ſcimus almam Hygeam, vt pari cum aliis artibus ac ſcientiis gloria, imo maiori etiam, praefulgeret, cui extendendae vel ipſi celebriores Poëtae, imo Phoebus ipſe cum Muſarum cantatricum choro linguam calamumque impendunt. Nolo in re tam euidenti congerere exempla; quis *Medicos Auguſtanos* inglorios dicere ſuſtineat? quorum eruditae voces non ſemel in Scriptis publicis olim per vniuerſam Germaniam aliasque Prouincias et Regna paſſim exauditae; quorum adcurata in morborum natura exponenda eloquentia, et in debito auxiliorum vſu efficaciter perſuadendo ac edocendo dexteritas a tot myriadibus aegrotorum hactenus depraedicata, omnino mutorum Doctorum ordini eos iam dudum exemit, et ab ingloria obliuione vindicauit. Sed parcite, quaeſo, o benigni, qui haec legitis, oculi, et amica pectora, maiori fortaſſe, quam decere me videri alicui poſſet, fiducia haec adſtruenti; nec arrogantiae inſimulari me permittite. Quamuis etenim et noſmet, qui Collegii noſtri Medici membra hoc tempore ſumus, muneri vtpote noſtro demandato ſedulo

atten-

attenti, non omni gloriola vel honore, Medicis ab ipsa Diuina Maiestate apud *Ecclesiasticum cap. 38.* adiudicato, carere velimus, beatorum tamen Antecessorum gloriosam memoriam, quae, vt obmutescens aeterna obliuione sepeliatur, nullo meretur modo, excolere hic inprimis animus fuit. Idque hoc Anno Seculari, quo centum abhinc annis ab ILLVSTRI et AMPLISSIMO REIPVBLICAE HVIVS AVGVSTAE SENATV Collegium nostrum institutum fuisse recordamur, et de conseruato hucusque, aut saltem non admodum imminuto, eius qualicunque splendore omnis boni Datori benignissimo deuotas gratias debemus, vlterioremque eius benedictionem ac omnium malorum auersionem ab immensa Eius bonitate exoramus. Cum enim Secularia quaedam solennia celebrare status nostri conditio haudquaquam permittat, praeter supplices preces, quas pius quisque corde fundit, votis honestis et anteactorum grata recordatione gaudia nostra Patriae, Fautoribus, Posteritati testata facere volui. Habuit quidem Ciuitas haec olim etiam, antequam in Ordinem istum Medici eruditione, virtute et meritis conspicui redigerentur, suos Machaones et Podalirios. Habuit *Adolphum Occonem, Frisium*, inprimis hic memorandum, qui cum primo SERENISSIMI ARCHIDVCIS AVSTRIAE SIGISMVNDI Medicus fuisset, tandem circa Annum N. C. 1494. huc veniens, Medicinam magna cum gloria per nouennium fecerat; quem *Filius eius adoptiuus*, eodem nomine insignitus, et ex *Epistolis Gesnerianis* adhucdum celebris, plus quam per decem lustra aegris hic inseruiendo exceperat. Vt de *Achille Pyrminio Gassero, Lindauiensi*, quem vere alterum in re medica Achillem, laudatissimus *Ioh. Langius, Lib. 2. Epist. med. 39.* appellare non dubitauit; aut de *Ieremia Martio* nihil dicam, quorum laudem non ita multis ante annis, cum quasdam eorum obseruationes in lucem produceret, recensuit celeberr. noster *Georg. Hier. Welschius*; nec de *Gereone Seilero, Bauaro*, cuius nomini vtilissimum *obseruationum medicarum Opus Schenckianum*, nec non *Epistola 1. libri 19. Ioh. Manardi*, Medici Ferrariensis praecellentissimi, immortalitatem peperit. Nec tantum habuit

ſed lautis etiam atque honeſtis ſtipendiis hos aliosque aluit, quale centum aureorum menſtruum, per annum fere integrum an. 1568. nec non an. 1572. quo tempore peſtis vrbem depopulabatur, meruit praefatus *Gaſſerus*. Verum cum prudentiſſimus SENATVS, in plurimis aliis Legibus atque Statutis ſaluberrimis promulgandis magnam ſemper prouidentiae ac ſapientiae laudem promeritus, memorque illius, quod *Cicero Epiſt. 1. ad Quintum fratr.* habet: *Huc omnia ſunt referenda ab iis, qui praeſunt aliis, vt, qui eorum in imperio erunt, ſint quam beatiſſimi*, ad Ciuium ſuorum ſalutem conſeruandam vel augendam non minimum momentum ſe daturum praeuideret, ſi Medicos hactenus per Vrbem quaſi diſperſos, nec firmiori eruditae fraternitatis vinculo nexos, in vnum corpus colligeret, ſicque genuinos ab indoctis et impoſtoribus ſepararet, horumque contra violentas artes ac multiplices fraudes amplis Priuilegiis tutos redderet, et praxeos libertatem caeteris praeſcinderet, Anno R. S. MDLXXXII. hoc noſtrum Collegium, nullos niſi legitime ad Doctoratus dignitatem promotos recepturum, inſtituit, Statutaque a Medicis praeſcitu ſuo conſcripta confirmauit, et ſtricte obſeruanda praecepit. Nolo conſilium hoc nobile vberius laudando proſequi, quod ipſa ratio iuxta cum experientia, decorem, neceſſitatem et vtilitatem omnium oculis animisque ſponte exponendo, quam maxime commendat. Abeant ergo in Noſocomia, vt de Medicinae neceſſitate mitius ſentire ibidem addiſcant, aut perpetua Morbonae ſint mancipia, qui Medicos Reipublicae minime neceſſarios proclamare audent; quos elegans *Medici politici* autor, *Rodericus a Caſtro Lib. 1. cap. 7. et 8.* ſatis erroris craſſiſſimi conuicit, atque a Magiſtratu in ditione ac ciuitate ſua vtique eſſe admittendos, docuere *Mich. Boudewyn part. 2. Ventilabr. med. theol. quaeſt. 1.* et *Henr. Smetius miſcell. med. lib. 11.* Faceſſat nugiuendulus *Plinius*, per 600. annos Romam feliciter caruiſſe Medicis *lib. 29. cap. 1.* innuens, ſatis refutatus, et ſeuero admodum calamo calumniae atque mendacii conuictus a *D. Ioh. Chriſtoph. Bitterkraut* et *noſtro Minderero* in *Trenodiis medd.* Neque morabimur *Catonem*, cuius

ſeue-

ſeueritatem effeciſſe, ſunt qui obiiciant, vt Medici Roma pellerentur. Hoc enim ſi contigiſſet, impoſtoribus et vrbis proditoribus accidiſſet; id quod ipſa verba *Catonis* ad filium perſcripta ſatis commonſtrant: *quandocunque iſta gens*, de Graecis locutus, *ſuas literas dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis, ſi Medicos ſuos huc mittet; ergo nullo modo in Republ. admittendi ſunt.* Neque ſapientiſſimus *Plato*, multitudinem Medicorum male conſtitutam arguere Rempublicam in opprobrium Medicorum ſcripſiſſe a nonnullis creditus, vllum hic parat obſtaculum, qui *Dialog. 3. de republ.* malae et turpis diſciplinae in ciuitate nullam maiorem poſſe capi coniecturam adſerit, *quam ſummis iudicibus ac Medicis indigere;* ſiquidem, vti paulo ante ſcripſerat, *intemperantia et morbis in ciuitate multiplicatis, et iudicum et medicorum ope plurimum indigemus.* Etenim, prout neceſſitatem Artis medicae inuentricem merito vocamus, ita neglectae ſobrietatis vitium, digeſtiones corporis turbando humoreſque vtiles corrumpendo, morborum variorum impetum ſuſcitans, neceſſitatem illam habet fidiſſimam pediſſequam; qua ſi carere poſſet Reſpublica, non vltimum beatitudinis gradum merito conſecuta eſſet dicenda; id quod tamen cum et hominum intemperantia ac luxus, et fortuitae aliae, aque impreſſa naturae noſtrae poſt lapſum et gulae peccatum Adamiticum debilitate vix euitandae morborum occaſiones ſperare prohibeant, bene conſtitutam Rempublicam, et quae beata dici mereatur, Medicis carere nullo modo poſſe ſponte eluceſcit. Vnde eundem diuinum, ceu paſſim vocatur, Philoſophum *l. c. Dialog. 2.* de ciuitate conſtituenda agentem, poſtquam: *Annon et Medicis indigebimus multo magis ita viuentes, quam vt antea dicebamus?* quaeſtionem inſtituerat, *valde quidem*, reſpondiſſe deprehendimus. Hinc egregia ſunt, quae hanc in rem *praefatus Rodericus Caſtrenſis* perorat, ac digna quae hic adducantur: *In bene conſtituta Ciuitate inter clariſſimas Artes ſuus ſemper Medicinae locus fuit, et ſi qua rudis adhuc et barbara natio odio habuit Medicinam, eadem exuta ruſticitate cum aliis praeſtantiſſimis Artibus recepit ſtatim Medicinam.* Imo omnium optime

magnus

magnus noſter Praeceptor, *Hippocrates lib. de arte* magnum artis exiſtentis argumentum eſſe, et quod inter praeclaras habenda ſit, iudicat, *quando, qui ne eam quidem eſſe exiſtimant, eius ope ſeruati conſpiciuntur. Qui enim etiam non adhibitis Medicis ex morbis conualuerunt, vt intelligant omnino neceſſe eſt, ſe, quod aliquid vel fecerint, vel non fecerint, iccirco ſanitatem eſſe conſecutos.* Tali vero in ſtatu dum et noſtra Ciuitas verſatur, quae licet ſaluberrimis legibus ſit circumſepta, optimeque conſtitutas inter Reſpublicas locum poſſideat, Ciues tamen et incolas non naturali tantum corporis conſtitutione mutabiles et ita reuera homines, ſed et ſobrietatis defectu multoties grauatos, multiſque aliis alterationibus obnoxios complectitur; quos cum beatos ex omni parte reddere AMPLISSIMVS MAGISTRATVS deſiderauerit, Sanitatis quoque non vltimam rationem habere voluit, Medicinam non cum Barbaris proſcribendo, ſed intra moenia potius clementer inuitando, ac molli patrocinio eius cultores ſibi deuinciendo. Quid ſanctarum legum aequitate florentem, moeniis altiſſimis et munimentis fortiſſimis cinctam, artium variarum inſignium copia praeclaram, multiſque aliis commodis et ornamentis abundantem poſſediſſe Ciuitatem, prodeſſe poterat, ſi Artium praeclariſſima caruiſſet? Huius ſine praeſidio et Decretis qui viuunt, multis iniuriis atque miſeriis expoſiti viuunt. Haec Sanitatis tutiſſimum eſt firmamentum, et ingruentes contra morborum acies fortiſſima obiicit inſtrumenta. Omnium autem rerum optimum eſſe, proſperam habere valetudinem, *Socrati* apud *Platonem* ſapientiſſimum (*in Gorg.*) merito credimus, ideoque cum *Ariphone, Poeta Sicyonio* exclamamus:

*O Sanitas beata,*
*Tu ver facis ſuaue*
*Fulgere gratiarum!*
*Sine te nil eſt beatum!*

Beatam ergo et noſtram dicimus Ciuitatem, quae non communi tantum neceſſitati, variiſque aegritudinum generibus Xenodochia, Orphanotrophia, Noſocomia et Loemiatrea liberaliſſime

lissime construxit, et Viros Senatorii Ordinis prudentissimos singulorum inspectioni praeposuit, sed iustis quoque praemiis Medicos, Physicorum cognomine insignitos, eorum curae dicauit, vt Ciuibus pariter et Aduenis nec consiliorum medicorum, nec remediorum selectiorum copia deesse miseris languentibus queat. Habent suum sanitatis curatorem Nosocomium publicum et Orphanotrophia, alium quod sanandis lue venerea infectis debetur, alios leprosorum Nosodochia. Cumque, vt verbis Ciceronianis ex *Orat. pro Muraen.* vtar, *boni Magistratus sit, non solum videre, quid agatur, verum etiam prouidere, quod futurum sit*, in ipsa tranquillitate de tuto pestiferae luis praesidio Noster est sollicitus, praeter primarium vnum, SENATVS curae, si quando malum (quod Diuina Clementia porro longissime a finibus nostris arceat!) ingrueret, conductum, quatuor alios vniuersorum indigentiae addictos sustentans. Quorum Physicorum omnium numerus ad quadragesimum septimum per huius seculi iam finiti decursum peruenit, viginti octo eorum ex natiuitate Ciuitatis iure gaudentibus, nouendecim autem aliunde huc aduenientibus. Nec substitit in his veneranda PATRVM PATRIAE prouidentia, maximam etiam Pharmacopoliorum curam gerens, quorum securitati et incremento salutarium legum instituto prospexit, lectissimos aliquos Senatoriae Potestatis Viros praefecit, Collegii Medici Vicario visitandi Officinas illas medicamentarias, sine cuius adprobatione singulorumque composita ingredientium simplicium examine, nullum omnino pharmacum confici miscerive debeat, munus concredidit, et solennem insuper ab vniuerso Synedrio medico, Nobilissimis istis a MAGISTRATV Dominis Deputatis praesentibus, quotannis obeundam Visitationem decreuit. Vt autem maior Collegio autoritas et debita Legum obseruantia promoueretur, imo et transgressores pœnas darent, et in quosuis sine licentia atque imperite, Artem medicam exercentes debite animaduerteretur, quotannis Collegarum quempiam in Decanum eligere, necessarium fuit iudicatum. Et quamuis primus qui tum communibus suffragiis

honorem hunc impetrauerat, *Dn. D. Lucas Stengelius, Augustanus*, cuius honorificam mentionem multoties facit incomparabilis *Conr. Gesnerus in suis Epist. med.* cui ingentia in Patriam merita nunquam morituram laudem contribuerunt, et cuius consilio ac labori ortus sui non minimam partem debet Collegium, per quinque annos mensesque septem, consensu Illustr. DNN. DVVMVIRORVM, officio hoc defunctus fuerit, quo nempe eiusdem continuatione salutaris huius instituti Leges eo melius in vsum deducerentur; postea tamen annua semper mansit dignitas ista, illis solummodo, tenore Statuti sic primo volentis, collata, qui maiori rerum ad forum medicum peritia et experientia, multorum annorum vsu adipiscenda, instructi Seniorum, quos senario numero incluserat consuetudo, titulo insigniuntur; cum iam vnicuique ad honorem istum aditus sit reseratus, statutis vtpote A. 1613. renouatis, nulla Seniorum speciali facta mentione, quempiam ad id munus habilem muneri huic admouendum esse simpliciter innuentibus, et votorum a singulis Collegis in quatuor Nobiliss. Senatorum, Officinis pharmaceuticis Praefectorum praesentia, post absolutas Visitationum annuas solennitates ferendorum pluralitate electionem absoluente. Cui Decano Vicarium vnum ex Senioribus in subsidium adhiberi, illudque munus vt perpetuum esset, commodum fuit iudicatum, primo, qui tali officio defungeretur, celeberrimo *D. Adolpho Occone, A. F. et A. N.* designato: quem A. 1606. *D. Casparus Guttmannus, Constantiensis*, cuius stegnoticus multae efficaciae puluis in *nostro* habetur *Dispensatorio*; A. 1616. *D. Carolus Widemannus, Monacensis*; A. 1638. *D. Vrbanus Schlegelius, Babenhusanus*; A. 1643. *D. Paulus Ienisch, Augustanus*; A. 1649. *D. Iohannes Henisius, Vlmensis*; A. 1655. *D. Adamus Hebich, Anhusanus*; A. 1658. *D. Daniel Widholz, Augustanus*; et hunc ante quadriennium Vir multae praxeos atque superstes adhuc Collega plur. colendus, *D. Georgius Tobias Dürr*, itidem *Augustanus*, exceperat. Sic fama celebritatem Collegii adaugente, multos, vt honorificam in illud receptionem ambirent, subinde permouit. Licet enim quosdam spem lucri, a

praxeos

praxeos amplioris fertilitate ſperati, aut exteriorem vrbis ſplendorem, magnificum quoduis primo intuitu ſpondentem, allicuiſſe negari nequeat, multos tamen celebratiſſimi taliſmodi conſortii honorem huc vnice pertraxiſſe eſt credibile, idque vel paucis abhinc annis exemplo ſuo recentiſſima in memoria poſito vnus alterque Vir clariſſimus abunde confirmauit. Ita vt per elapſi huius ſeculi decurſum, praeter LXIV. Auguſtanos, XLV. aliunde ex Sueuia noſtra, vicina Bauaria, Franconia, Thuringia, Saxonia, Alſatia, Boruſſia etc. ipſa tandem Polonia, Pannonia, et Italia aduenientes Doctores nomen ſuum Albo noſtro inſcripſerint; quos partim in medendo dexteritas, partim in eruditis ingenii monumentis publicandis ſolertia, partim a diuerſis Principibus ac Ciuitatibus Imperialibus concredita et fideliter procurata ſubditorum ſanitas a vulgi fece extulit, memoriamque eorum poſteritati glorioſam reddidit, aut ſimili etiamnum honore dignos efficit. Quos omnes ſpeciatim memorare ſuperſedeo. Iuuabit tamen publica fama notiores recenſere, illosque inter 1. *Adolphum Occonem III.* Medicum et Polyhiſtorem nominatiſſimum, cuius *de Impp. Romanorum Numiſmatibus a Pompeio M. ad Heraclium vsque* praeclarum Opus magno habet in pretio Eruditus orbis, cui *Pharmacopoeia Auguſtana*, A. R. S. MDLXXIII. per Georgium Willerum in 4. longiori forma publicata, primos natales debet, atque diuerſa alia excellentis ingenii documenta qui reliquit. 2. *Leonhardum Rauwolffium*, *Auguſtanum*, qui plurimis in Oriente regnis et regionibus perluſtratis, curioſo id eius Itinerario ante ſeculum fere ab ipſo in lucem emiſſo edocente, perque annos aliquot poſt reditum in Ciuitate hac Phyſici officio functus, dein Linzium profectus, honeſta ibi Poliatri conditione obtenta, tandem cum Auſtriaco milite iam aetate grauis Caſtra in Hungariam ſecutus, in obſidione Hatwanenſi dyſenteria correptus occubuit, cuius mortem laudesque prolixiori diſcurſu proſequitur *Tobias Coberus decad. 3. obſeruat. caſtrenſ. 3.* et quem in *Horto ſuo medico pag. 19.* doctiſſimum, atque in rebus naturalibus inueſtigandis ſtudii indefeſſi virum nominare non dubitauit,

et ipſe magni nominis Medicus *Ioach. Camerarius.* 3. *Georgium Laubium, Auguſtanum*, virum ad promouendas res literarias medicasque natum, cui *Roſae Anglicae*, dictae, ſiue *Iohannis Gadesden, Anglici, Practicae* elegantem impreſſionem, magnis eius impenſis, non gloriae ſtimulis, aut lucri impulſu, ſed vtilitatis publicae propoſito atque amore (teſtante id in Dedicatione ipſi honorifice ſcripta *D. Philippo Schopfio*,) A. 1595. Auguſtae Vind. factam debemus, et qui plurima alia eruditionis ſingularis indicia publice praebuit. 4. *Tobiam Cneulinum, Giengenſem*, in *obſeruationum Schenckianorum* doctiſſimo opere, cui egregias nonnullas contulerat, celebratiſſimum. 5. *Georgium Heniſchium, Barthfeldenſem Pannonium*, non vno nomine celebrandum; quem et felicior in medendo ſolertia, et fructuoſa ſtudioſae iuuentutis in Annaeano Gymnaſio, Matheſeos fundamenta publice docendo, informatio, et vtiliſſima variorum librorum, tum medicam artem, tum aliarum liberalium notitiam concernentium, in lucem emiſſio omnibus bonis aetate illa viuentibus adprime commendauerat, atque apud poſteros etiam nunquam morituram famam conciliauerat; quam Collegium quoque noſtrum non vltimam ei debet, dum ipſe An. 1609. Actorum medicorum, cuncta Ordinem noſtrum concernentia fideliter eidem inſerendo, fecerat initium, labore non minus neceſſario et proficuo, quam maxime laudando, et ab omnibus, quibus praeteriti temporis memoria, in dubiis quandoque caſibus ſumme vtilis, non diſplicet, imitando; quem per vndecim annos neglectum An. 1658. cum prima vice ad Decanatus dignitatem, quinquies dein iterato in eum deriuatam, omnium votis Parens meus venerandus, atque Collegii noſtri totius iam Senior optime meritus, fuiſſet electus, haud exiguo cum fructu reaſſumſit, hucuſque non minori cum ſedulitate a reliquis Dnn. Decanis pariter continuatum. 6. *Ioh. Georg. Brenggerum, Auguſtanum*, Medicum valde induſtrium, primo Kauffbeyrenſem Phyſicum, poſtea in Patria Practicum famigeratiſſimum, cuius nephriticam virtutis non contemnendae Aquam *Diſpenſatorium noſtrum* exhibet, et ſolertis ingenii epiſtolam *Philippus*

*Hochstetterus* obseruationum suarum calci adnexuit. 7. *Ioh. Vdalricum Rumlerum, Augustanum, Gasseri* ex filia nepotem, a *Welschio* in *obseruat. eius prologo* laudatum. 8. *Martinum Holzapfelium, Rotenburgensem ad Nicrum*, quem commendatissimi et excellentissimi Medici epitheto praedictae *Schenckianae obseruationes* condecorarunt. 9. *Ferdinandum Matthiolum, Tridentinum*, magni illius Medici, *Petri Andreae Matthioli* filium, ob paternam propriamque virtutem, tum Vrbis huius Physicatu, tum multis honoribus aliis insignitum, AVGVSTISSIMI CAESARIS MATTHIAE, FERDINANDI Bohemiae Regis, et IOH. GEORGII Saxoniae Electoris Consiliarium et Archiatrum, Comitem Palat. Caesar. et Armatae militiae Equitem auratum. 10. *Raimundum Mindererum, Augustanum*, Sueuiae, iudicio *Ioh. Fabri*, in *Hist. natur. Mexican. pag. 577.* Hippocratem, quem praeter nobilem apud Magistratum nostrum, tum et SACR. CAES. MAIEST. MATTHIAM, Ducem Bauariae, aliosque Medici Spartam, elegantia Scripta iatrica in publicum edita post mortem etiam superesse voluerunt. 11. *Philippum Hochstetterum, Augustanum*, cuius felicissimam praxin medicam, solida eruditione partam, Vrbs haec semper admirata tanti sui Aesculapii memoriam nondum pectore deposuit, *obseruationum* autem *medicarum opus* insigni labore, industria et doctrina refertum, inque decades sex digestum et ab ipso Autore editum, ante octennium vero a Nepote eius, *D. Ioh. Philippo Hochstettero*, Physico Rottenburgensi ad Tubarim, Aui atque Parentis vestigia presso pede insequente, quatuor decadibus posthumis adauctum, nulla vnquam aetas venerari desinet. 12. *Ieremiam Erhardum, Augustanum*, cuius non ingloria fit mentio in multi pretii operibus *Guil. Fabricii Hildani cent. 6. obseru. 41. 91. et 92.* 13. *Marcum Banzerum, Augustanum*, communis illius Germaniae Praeceptoris, *Danielis Sennerti* per 26. annos successorem, et Facultatis Medicae in Academia Wittebergensi postea Seniorem, libri, *Fabrica receptarum*, inscripti autorem; quem vt mortuorum artificem, qui scientiam, vsum et medendi felicitatem abunde tenuerat, honorificum admodum

Rectoris Magnifici ibi post obitum publicatum Programma commendauerat. 14. *Maximilianum Mermannum a Schönberg, Monacensem, Thomae Mermanni* filium, Sereniss. Bauariae Ducum Archiatri primarii, cuius vitam et consilia Nobiliss. *D. Francisc. Ignat. Thiermairius*, itidem Archiater quondam Bauaricus, ante septennium non sine adplausu vsui publico consecrauit. 15. *Danielem Geigerum, Augustanum*, a suo Cognato, *Malach. Geigero, p. 105. Microcosm. hypochondr.* amplissimis verbis, nec tamen vltra dignitatem publice dilaudatum. 16. *Dauidem Verbezium, Carno-Lubeanum*, Medicum vno alteroque scripto in Cl. *Lindani Indice* notato, clarum, et post fidelem Augustanis nauatam operam, salutaris artis praesidia Stuttgardii, Argentorati, ac vltimo Spirae Nemetum aegrotis praestantem. 17. *Danielem Widholzium, Augustanum*, ex praeclara *Sachsiana memoria*, per Excell. *D. Ioh. Daniel Maiorem* erecta, iuxta cum Filio, *D. Ioh. Vlrico*, itidem Medico famigeratissimo, et non sine Patriae, ad cuius salutem natus videbatur, luctu mature nimis a phthisi iugulato, Orbi erudito commendatum, multisque in Patriam ob consiliorum medicorum efficaciam meritis post funus etiam superstitem. 18. *Ioh. Henisium, Vlmensem*, Comitem Pal. Caesar. cui nauata per semestre in atroci peste Veronensibus, postquam Loimiatrorum nostrorum experientia, sedulitate et animositate in lue horrenda, Vrbem hanc A. 1627. et 1628. depopulante, permoti, ab ILLVSTR. MAGISTRATV nostro Medicum sibi aliquem petiissent, opera non Equitis tantum Diui Marci dignitatem, oblatae Professoriae in primo loco Pataui Spartae honorem, et haud contemnendas opes, sed ius quoque Ciuitatis ac Monumentum marmoreum Verona contulerat. 19. *Antonium Boxbarterum, Augustanum*, quem Patria dulcissima tricennalis belli iniuriis agitata valere iussa, vicina florentissima Vlmensium Respublica, post legitimam vocationem A. 1636. gratiose exceperat, et honorifice, ob plurima in eam per integrum 43. annorum decursum merita, vsque ad vltimum vitae halitum, ante triennium demum exspiratum, tenuerat; non sine aliqua nostrorum Ciuium, ob tantum

ſibi ereptum Aeſculapium, tacita inuidia, quam tamen praelaudati *D. Heniſii*, nec non huius ex fratre Nepotis, Exc. *D. Io. Ludou. Heniſii*, Collegae mei etiamnum in viuis chariſſimi, Clariſſ. item *D. Ioh. Frid. Reguli Villingeri*, et ante quadriennium demum Nob. *D. Vit. Riedlini*, Amici mei ex paucis ſuauiſſimi, obſeruationum medicarum nuper typis publicata centuria celebris, ex ſinu ſuo ad nos dimiſſione demulcere viciſſim valuit. 20. *Franciſc. Oſvald. Grembſium*, *Bauarum*, Archiatrum Friſingenſium praenobilem; cuius famam editus tractatus, *Arbor integra et ruinoſa hominis* inſcriptus, ſine ruina celebrem et integram ab obliuione in hunc vsque diem conſeruat. Hiſce quidem plures alios Sanitatis Cuſtodes experientiſſimos et excellentiſſimos Albo noſtro inſcriptos, tum viuos, tum demortuos iungere liceret, ni horum obſcurior apud Eruditos notitia chartae huius anguſtias opplere diſſuaderet; illorum autem verecundia mihi ſilentium imperaret, meque in adulationis aut etiam amoris nimii ſuſpicionem praecipitare poſſe videretur. Sufficiat, non ea Medicorum praeſtantiſſimorum penuria per Seculi elapſi decurſum Auguſtam noſtram laboraſſe, quae exiguo iſti recenſito numero includi deberet. Sufficiat, neque hoc noſtro tempore, quo nouum Seculum inchoamus, ipſi deeſſe Viros doctrina inſignes, peritia venerandos, meritis praeclaros, et fama florentes. Non equidem negandum, vidiſſe praeteritos annos in numerum Medicorum noſtrorum cooptatos quoſdam, in quibus Momus aut adcuratior cenſura facile, quod carperent, inuenire valuerunt: id tamen nec prolixius oſtendiſſe, inſtitutum meum permitteret, aut publico prodeſſet, nec ſplendori Collegii quidquam derogare poterit. Vti enim neque Soli et Lunae, radiis licet fulgentiſſimis et luce ſpecioſa praeditis, fulgoreque ſuo ac decore omnes in admirationem rapientibus, imo infideles quosdam, vt diuino adorent cultu, permouentibus, maculas deeſſe, nullum tamen eapropter contemtum mereri, nouimus: Ita Societati noſtrae non meros Hippocrates, Galenos, Haruaeos etc. eſſe conceſſos, quis ſanior vertat opprobrio? Prodeat quaeuis alia Eruditorum, aliorumue



Socie-

Societas, quae omni ex parte ornata, nullaque maculis quibusdam conspersa membra numeret, et laudabimus illam. Nec morabor amplius iniquiores Doctorum censores, qui eam semper Collegio nostro apud Exteros inprimis gloriam constitisse, tacite mecum, non sine quodam voluptatis honestae sensu, ruminor, quae vel inuidiam conciliare eidem facile potuisset. Quam magnifice praecellentissimus in Romano Athenaeo Professor, *Ioh. Faber* de eo in *Expositionib. in Nard. Anton. Recchum* senserit, vix sine praefata venia, et inuidiae deprecatione recensere licet, cum *pag. 576.* de Ambrae electione agens, *et quid aliud,* scripserit, *dicam faciamue, quam vt nobilibus his Medicorum Collegiis, Romano inquam meo subscribam et Augustano? quorum hoc in Germania, illud in Italia caeteris facile praecellit.* Quo in pretio famae celebritate Medicos inter illustri *D. Ioh. Theodoro Schenckio,* Professori olim Lycei Salani fuerit, honorifica admodum inscriptio, *Synopsi Institutionum medicarum* ab ipso An. 1668. in lucem emissae praefixa testabitur, praeter alia, haec verba continens: *Dispensastis vna cum Pharmacopoeia plus quam regia, et cui ante maior nulla, nec posthac vlla aliqua erit superior, famam vestram.* Ipse acerbissimus Augustanorum censor, *Iohannes Zwelferus,* Dispensatorium nostrum vbiuis in Germania a Medicis et Pharmacopoeis receptum esse, in *Animaduersionum prooemio,* fateri cogitur, verissimumque eo ipso dat testimonium: nec errasset, si et extra Germaniam in plurimis locis illud in pretio exstitisse addidisset. Ast videor mihi hic crabrones excitare, aut saltem elogio tali iniquas Momi aures torquere; qui Pharmacopoeiam nostram ab homine isto de gloriae suae throno deiectam, crassissimorum errorum conuictam, inque longe aliam formam redactam, imo regiam plane eidem esse substitutam susurret. Verum salua res est, saluaque erit, quamdiu Examen animaduersionum istarum, quod sub *Pharmacopoeiae Augustanae restitutae* nomine ante nouennium coactus Aristarchis iniustis opposui, saluum permanebit. Gratulemur interea Arti nostrae, eam ipsi felicitatem contigisse, qua magnum indies incrementum, vti in reliquis partibus, ita inpri-

mis etiam, quae ad medicamentorum praeparationem ſpectant, experitur. Fatemur enim lubentiſſime, ita cum Diſpenſatorio noſtro comparatum eſſe, vt mutari ſubinde quaedam in eo, deleri, antiquari, addiue poſſint: non tamen cuiuis naſutulo id permittimus, aut atrociores cenſuras benigne ferimus, quinimo proprios prius defectus vt emendare laborent, porro adclamatre eis ingeminamus; ipſi cum tempore noſtra, vbi occaſio fieret, atque neceſſitas porro ſuadebit, expolire nouimus, haud indigi externo violentiori ſubſidio. Non paruam ſane ſplendoris ſui particulam tum deceſſiſſe Collegio noſtro experti ſumus; aſt totales ipſi inductas haud eſſe tenebras, ſed luce etiamnum radiare ſua in aequiorum Cenſorum animo vna nouimus. Nos laudem nulli, quam meretur, inuidemus, quin Zvelferi conatus qui laudaſſent, primos inter facile et Auguſtanos meos reperiundos fuiſſe, non dubitarem, ſi tot inter alios Diſpenſatoriorum libros noſtrum libidinis ſuae et immodeſtiae ſcopum non feciſſet, resue ipſas ab aliis iamdudum animaduerſas, aut a ſe quoque experiendo probatas, absque inani iſta haud adeo meliorum praeparationum, non ſine riſu noſtro, ſubſtitutione, propoſuiſſet. Caeterum praeter externam iſtam Aduerſariorum turbam, nec propinquiores Collegio noſtro defuerunt inimici. Adeo vt dicterium: Medice viuere, eſt miſere viuere, in illud optime quadrauerit. Nec enim in conſiderationem hic venient liberiori vitae generi addicti, qui varios in diaeta committere errores adſueti, miſerum Medicorum ſaniora ſuadentium iugum aeſtimant, cum temperantiae hoc iugum ſit ſuauiſſimum, et miſeria iſta omnino ſit imaginaria, ſummamque in hac vita felicitatem, quam ſanitatem dicimus, comprehendat. Vnde cum *B. Hochſtettero* noſtro ex *Dedicat. part. 2. obſeru.* et venerando Academiae Altorffinae olim Doctore, *Caſp. Hoffmanno*, ex Orationibus ibi habitis, nuperque ab Excell. *D. Sebaſt. Scheffero*, Poliatro Francofurtenſi editis, medice ſiue regulas ſecundam medicas viuere, optimum eſſe viuere, potius exclamo. Quo ipſo tamen haud patrocinari velim illis, ſcrupuloſam nimis diaetam qui ſanis etiam inculcant, atque ad exa-

ctam menſuram pondusque cibos et potum religioſe nimis aut ſuperſtitioſe diſtribuunt, cunctaque alia ſtrictiſſime coordians; reuera ſiquidem hos ita medice viuentes miſere viuere dicendum eſt; quibus *Celſi* conſilium, iucundius multo et vtilius vitae genus, reipſa tamen medicum ſuppeditans, conduceret, quo ſanum hominem, qui et bene valet et ſuae ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debere, ac neque Medico, neque alipta, egere innuitur. At viuere Medicorum, ac ſpeciatim Auguſtanorum, quam nullis careat moleſtiis, voluptatis habeat exiguum, triſtitiae quamplurimum, praelaudatus *Höchſtetterus* copioſe oſtendit. Et *Mindererus* noſter ſi reſurgeret, quantam non Threnodiae diffuſe conſcribendae materiam denuo inueniret! Vt pauciſſimis pauca attingam, nec quae ex neceſſitate quadam ineuitabili ipſi Artis exercitio multiplicis taedii feraciſſimo contingit miſeriam, *Hippocrati* quoque noſtro *in principio libr. de flat.* his verbis: *Medicus non niſi quae periculo ſunt proxima intuetur, et quae ſunt ingrata contrectat, ac ex aliorum calamitatibus ſibi dolorem conciliat*, memoratam recenſeam; nec de plurimorum in Medicos ingratitudine querelas odioſas inſtituam, quorum in iuſto praemio ſoluendo Chiragram, ſic ab Excell. *D. Paulo Ammanno* Profeſſore Lipſienſi in *Medic. Crit. p. 20.* adpellatam, et quas, in Empiricos indigniſſimos caeteroquin ſaepe liberaliſſimi, pro beneficiis collatis aliquando rependunt iniurias, toto die experimur; licet non deſint etiam, qui aequiores laborum aeſtimatores gratiam gratia rependere norunt; multo minus miſerias diro belli tricennalis Germanici tempore perpeſſas referam, tantas vt Medicorum aliqui indigniſſime a militari inſolentia tractati non verberibus tantum exciperentur, atque in ſuarum multo ſudore partarum facultatum iacturam et extremam indigentiam redigerentur, ſed aedes inſuper proprias deſerere, imo vrbe excedere cogerentur, nil quidquam Caeſareis Priuilegiis ac Immunitatibus Doctoralibus, quorum vigore, praeter alia, ab onere hoſpites ac milites ſuſcipiendi etc. debebant immunes eſſe, ipſos iuuantibus, ſed arma inter ſilere leges docentibus; vt haec, inquam, non prolixius recenſeam,

ſeam,

ſeam, quid non moleſtiarum ingens apud nos Empiricorum copia nobis hactenus creauit? quot paginas Actorum noſtrorum innumeri, vt ita dicam, et periculoſi eorum in Patriam dilectam impetus implere Anteceſſores noſtros coëgerunt? vt noſtrarum miſeriarum, quarum finem et numerum non videmus, nunc propemodum obliuiſcar. Quocunque alma et caſta Hygea oculos vertat, foedos ſui ſtupratores et impoſtores, Carnifices, Veſpillones, Caſtratores, et quam non hominum fecem? ex omnibus angulis adrepentes, ac fungorum inſtar copioſe propullulantes obſeruat. Horum ſane multitudo eo nos fere perduxit, vt Circumforaneos illos, in foro populum decipere natos, vix amplius curemus, et honeſtiori quaſi in loco habeamus. Horum apud vulgum gratia, impudica audacia, execranda fallacia, et ſcelerata homicidia Rempublicam Ciuibus exhauriunt, deuaſtant, dehoneſtant. In hos quam maxime quadrat iudicium a *Roderico Caſtrenſi* latum: *Eſſet profecto non ſolum aegris, ſed totius artis exiſtimationi ac famae conducibilius, vt Medici potius opera Reſpublicæ careat, quam vt malos Medicos adhibeat.* Ab horum proteruia ita ſaepe conculcantur veri Medici, vt, quod magnus ille *Thomas Bartholinus tract. de Med. Danor. domeſt. diſſ. 10.* de ſuis Danis protulit, Medicinae ſtudiis fere eiuratis aliud vitae genus ſibi exoptent. Celebris quondam Indorum Medicus, *Iacob. Bontius, Belga*, cum libellum ſuum *de Medic. Ind.* fratri dedicaret, relicto patrio ſolo, ac ſterili propter medicaſtrorum ibi frequentiam prouentu, vberrimae ſe Iauae campos petiiſſe, ibique virtutis paulo maiorem rationem haberi fatetur. Vtinam, quae *Bontium* ad extremos currere Indos compulit neceſſitas, noſtram non premeret Vrbem, doctoſque ſaepe de alia ſtatione cogitare non compelleret Medicos! Nobis ſaepiſſime eadem conquerendi anſa occurrit, quae *Plinium*, his verbis Romanos ſuos vt alloqueretur, coegit; *Palam eſt, vt quiſque inter iſtos* (ſcil. Medicos Graecos,) *loquendo polleat, imperatorem illico vitae noſtrae neciſque fieri.* Veneramur equidem maximam Venerandi SENATVS noſtri prudentiam, quae peſtem hanc Reipublicae ſaluberrimis Edictis, non

ſemel, et Anno demum 1668. efficaciter promulgatis, arcere a finibus ſuis conata eſt, publice elogio a *Chriſtoph. Glückradtio* in *Dedicat. Tyrocin. chim. Beguin.* hinc celebratam, cuius etiam ſpecimen pertulit primus in Actis Collegii noſtri memoratus famoſus ille *Georg. Amwaldus*, quem viuis coloribus depictum dedit *Ioh. Hartmann. Beyerns epiſt.* 124. *Ciſt. Hornung.* cum A. 1583. ſufficientia Doctoratus ſui teſtimonia edere, atque publico Doctorum examini ſubiicere ſe, recuſaret, vna cum panacea ſua Vrbe eapropter excedere iuſſus. Aſt impudicam illorum hominum naturam licet furca expulſam, omni legum reuerentia exuta, vſque recurrere, nouum haud eſt. Quo ipſo tamen ſecuriora quorundam Patrum familias εὐπόριςα, et non lucri cupidine, ſed proximi amore in neceſſitatis caſu adhibita conſilia non omnino reiecerim; ſiquidem, ſcribente Cl. *Theodoro Kerckringio obſeru. anat. 51.* latent inter homines etiam gregarios innoxiae quaedam et ſalutares medicinae, quas nullus contemneret, ſi noſceret; hac quinimo intentione omnes artem medicam noſſe conuenit, iudicio *Democriti* in *Epiſt. ad Hippocratem ſcripta*, non tantum quod praeclara res ſit, ſed quoque *ad vitam conducibilis.* Miſeriam medicam adauget peruerſa quorundam medicas actiones, quae tamen captum eorum longiſſime ſuperant, traducentium libido. Ex omnium ſententiis famam noſtram pendere cum dolore, nec ſine periculo quandoque, experimur. Quam ſaepe ſemidelira anus, ſtupidus medicaſter, aliuſue, cui Natura vix granulati pondere cerebrum conceſſit, optime in purgatiſſimo cerebro praemeditata atque ipſius ex Naturae penetralibus deprompta conſilia proterue irridet, exſibilat, conculcat? ita vt de nobis quam maxime praedicari queat, quod Cl. *Lindanus Exerc. 2. Select. med.* §. *40.* ſcribere non dubitauerat, calumniis neminem magis obnoxium eſſe quam Medicum. Cui tamen vulgi veſaniae memoriam recte factorum opponimus; et hic porro murus aheneus eſto:

*Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.*

Quodſi ipſius vitae pericula, quibus fidelis Medicus ſe exponit, adcuratius perpendere vellemus, proh! in quantum miſeriarum

vallem

vallem nos demitteremus! Dum conſeruare vitam aliis nitimur, noſtram ſaepe perdimus; mortem a decumbentis lecto dum fugamus, eandem noſtrum in corpus ſaepe concitamus; quod ſi quidquam aliud, contagioſorum certe morborum crudelitas abunde confirmat. Vt reliquorum non recorder, quantam non ſtragem horrendum illud peſtis contagium Collegio noſtro intulit? Tredecim Auguſtae natos, et vnum ex Ducatu Iuliacenſi, alterum Ienenſem huc delatum Medicum abripiens; Auguſtae quidem Anno a Chriſto nato 1592. *Dauidem Wirſungum*, An. 1627. *Octau. Brendlerum*, *Marcum Huebherrum*, et ſqq. 1628. *Adolphum Occonem IV.* magni, *Occonis III. filium*, *Ioh. Wolffg. Beerium*, *Eliam Geiſſelbrunnerum*, *Matthaeum Brenggerum*, et *Ioh. Caſp. Wegelinum*, An. 1635. optime meritum ſenem *Phil. Hochſtetterum*, *Ieremiam Erhardum*, et *Ioh. Schinzium*, *Iuliacum Euskirchenſem*; extra Patriam vero Nerolingae *Lucam Mattſpergerum*, *Yſenae in Algouia Marc. Widemannum*, et Nyrtingae in Ducatu Wirtenbergico *Lucam Bilerum*; quorum agmen in nupera peſte Pragenſi An. 1680. *Gothofr. Moebius*, celeberrimi quondam in Academia Salana Profeſſoris, *Gothofr. Moebii filius*, infelici conſilio eo delatus, clauſerat. Quod ſi *laudandus eſt is*, *Ciceronis 4. de finib.* ſententia, *qui mortem oppetit pro Republica, qui doceat chariorem eſſe Patriam nobis, quam noſmet ipſos*, praefatorum quoque, quos non auri cupido, ſed honeſta vocatio amorue proximi, nec artis ignorantia ſed imbecillitas, ad mortem deduxit, memoriam hic excolere ipſa aequitas poſtulat; qui ſane alienam vitam magis quam ſuam diligendo, atroci licet tetri veneni peſtiferi violentia miſere iugulati, pro exoptata Patriae ac proximo concilianda incolumitate mortem glorioſam occubuerunt. Vidimus tamen etiam Collegas aliquot ad ſummum ſenium honorifice deductos, inque noſtra Societate duos etiam vltra decem luſtra ſuperſtites: quos inter merito primum dabimus locum ſupra laudato noſtro *Danieli Widholzio*, cuius, quamuis annorum numero grauati, et ſeptuageſimum nonum iam emenſi, obitus, ob ſumma in Rempublicam patriam beneficia medica, magno cum luctu contigit A. 1678. et ita, quem nec laborum multitudo, nec grauis ſenectus defatigare poterant,

 febris

febris continua, multis tum incolarum infesta, improuiso impetu abripuit. Huius ex vita hac discessum biennio praecesserat *Ierem. Stern, Augustanus*, anno aetatis octuagesimo tertio, qui variis fortunae lusibus agitatus primo in ciuitate Imperiali Weissenburgensi, et paulo post in Patria, dehinc Balingae in Ducatu Wirtenbergico, et tandem in Ciuitate Imperii Rauenspurgo Physici munere defunctus est, qui viridi senectute praeditus, ac praeter consuetum hodie naturae ordinem robore corporis adhuc pollens, potentiam mortis eludere posse cum videretur, violento in aedibus per scalas lapsu, in templum descensurus, misere obiit. Agedum itaque, VIRI NOBILISSIMI, COLLEGAE HONORATISSIMI, dulcem, non quidem annorum multitudine, sed factorum insignium magnitudine aestimandam longaeuitatem indefesso studio pariter ambiamus! Non adeo inglorium fuit Seculum elapsum; laboremus vt, quod Nos per Dei Gratiam incipimus, longe euadat gloriosius. Sat detrimentorum a temporis pessimi iniquitate subinde capit Respublica; non augebimus illa nostra desidia, et si qui alii perniciosi morbi obesse possunt. Sat opprobriorum in Medicinam a vulgo sparguntur; non permittamus, vt nostra multiplicentur culpa. Non desunt nobis vires, non occasio, non omnibus voluntas; has intendamus, hanc amplectamur, hanc continuemus. Benignissimum ILLVSTRIS SENATVS nostri adfectum concordi studio, labore strenuo, et meritorum pondere si sollicitemus, clementer Is voto nostro annuet, magnam Medicinae tutelam, praeclarum incrementum et immarcescibilem honorem daturus; vt, si quae erit Posteritas, Secundum, cui initium damus, Seculum immensis laudibus sit condecoratura, alterum Iubilaeum maiori pompa et studio celebratura, AMPLISSIMIS PATRIAE PATRIBVS aeternas grates decantatura, atque Nobismet ipsis, dudum licet mortuis, immortalitatem gloriosam conseruatura. Sic Vos Salus ipsa sanos conseruet, vt porro Sanitatis et Salutis publicae sitis Conseruatores! Sic Diuina Prouidentia laboribus vestris benedicat, vt fortunati reuera sitis Medici, Vosque nec Fortuna caruisse, nec carere voluisse innotescat omnibus!

VIRO

VIRO

*MAXIME REVERENDO ET CLARISSIMO*

# IACOBO BRVCKERO

S. D

IOANNES GEORGIVS LOTTERVS



*Edeunt itaque vel tandem aliquando ad TE, OCCONES TVI, typorum formis non inscite adeo expressi, quos, biennium fere abiit, quum manu descriptos ad me ablegares, procuratoremque editionis agere iuberes, vir clarissime. Ego autem, quantumuis nulli ab illo inde tempore operae, studioque nulli, pepercerim, vti TVO satisfieret desiderio quamprimum, inueniremque inter nostrates siue bibliopolam, qui sumtus libenter faceret, siue typographum, qui praelum exscribendo commentario huic eruditissimo suum commodaret; frustratum me tamen expertus sum plus vice simplici. Nil attinet cum TVO nostroque taedio huc referre caussas, veras ex parte, confictas iterum ex altera, quas plurimas aliqui tum sincere, tum callide, praetexebant, quo tanto speciosius prouinciam hanc abs me sibi commendatam declinauisse viderentur. Vnum hoc TIBI confirmare vel publice liceat: non vna de ratione morae isti serio me indoluisse. Et quidni aegre tulerim, ipsam primum ciuitatem eruditam, quae tam cupide, tamque studiose, scripta TVA varii generis elaboratissima pridem pertractauit, importuna ista protelatione ab inspiciendae* Historiae Occonum *voluptate distineri diutius? Quidni indignatus iure quodam sim, communem fautorem, illustrem, dico, SVLZERVM, doctissimae huius Opellae ἐργοδιώκτην praecipuum, spe toties impressam illam cognoscendi facta tantum non plane hoc modo excidisse? Quidni demum moleste me habuerit, fautor optime, in suspicionem apud TE deduci ita facili negotio potuisse, nisi ipse aequior natura et humanus magis exsisteres, ac si vel turpiter segnis in praestando TIBI tantulocumque officio, quod postulare abs me amicitiae*

*lege*

lege atque exspectare certo poteras, vel publici litterarum commodi pro virili parte, qualibet data occasione, promouendi negligentior essem atque minus, vti decebat reipublicae ciuem, curiosus. Sed nullam heic in me residere omnino culpam sancte protestor. Adscribendum hoc, quidquid est, potius fortunae quasi cuidam pertinaciae existimabis mecum, quae in eruditorum quoque orbe interdum, veluti in aliis, pro arbitrio videtur dominari, et, quum ingenio fere omni et sensu, et vtilitate, et amoenitate, et doctrina cassis Suffenorum scriptiunculis, quin immo voluminibus haud raro ingentibus, typographos faciles ac promtos, praemium liberale meritisque maius, praela post vacationem aliquam strenue rursus sudantia, lectores adsiduos et multos, et caeca mente non sine strepitu et fastu complaudentes, largiatur, lucubrationes contra aliorum posteritatis iudicio dignas, solide elaboratas, fructuosas et sale conditas inepta fastidit, tenebris, modo satis diuturnis, modo perpetuis, inique damnat, ac infinitis fere difficultatibus, molestiis, damnis, taediis adtritas a publicae lucis hominumque conspectu inuidiosa coercet.

O saeclum insipidum; o inficetum!

Expugnarunt nunc demum communi patientia nostra fortunam OCCONES TVI, fautor optime; postquam nuper honestissimo viro, Langenhemio, persuasi, vti illis imprimendis operam nauaret suam atque industriam. Desiderari hanc in se quod haud temere passus sit, iucunde, spero, et TV, et qui legerint, mecum cognoscent omnes. Vt compar esset externae habitus elegantiae scripturae, quantum poterat fieri, curatissime emaculatae nitor et perfectio, ipse ego non illibenter in TVI gratiam inuigilaui. Si quae autem restare adhuc vitia, non certe adeo multa, deprehenderis; humanitatis illa conditioni otiique penuriae benigne imputabis.

Quod superest, nouam hanc TIBI, vir celeberrime, ac praeclaram admodum TVORVM de Historia patria promeritorum accessionem ex animo gratulor. Qui TVO sic beneficio in mortalium memoria reuiuiscunt Triumuiri praestantissimi, vera Augustae suae et litterati orbis ornamenta, cum totidem aliis, quos antea calamus TVVS tam vere, tam scite, tam docte, commendauerat posteritati, cum EHINGERO, inquam, cum GASSERO, cum SCHROECKIO, certo certius non ingrati simile beneficium rependent, BRVCKERIANI nominis et pietatis immortalitatem. Vale, et nos, quod facis, porro ama. Lipsiae VII. Kalend. Ianuar. anni Dionysiani

cIↃ IↃcc XXXIIII.



N/
4364
HR.

120 SS. 1 gest Tft. 1 genealog. Tabelle
Glt. T.

18.—